„In expositione epistolae Pauli ad Galatas invenimus aliquid, quod nos multum moveat. Si enim ad scripturas s. admissa fuerint velut officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? Quae tandem de scripturis illis sententia proferetur, cuius pondere contentiosae falsitatis obteratur improbitas? Statim enim ut protuleris, si aliter sapit, qui contra nititur: dicet illud, quod prolatum erat, honesto aliquo officio scriptorem fuisse mentitum. Ubi enim hoc non poterit, si potuit in ea narratione, quam exorsus apostolus ait: Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior, credi, affirmarique mentitus, eo loco, ubi dixit de Petro et Barnaba: „Cum viderem, quia non recte ingrediuntur ad veritatem evangelii?“ — Si enim recte illi ingrediebantur, iste mentitus est. Si autem mentitus est: ubi verum dixit? An ibi verum dixisse videbitur, ubi hoc dixerit, quod lector sapit; cum vero contra sensum lectoris aliquid occurrerit, officioso mendacio deputabitur? Non enim deesse poterunt causae, cur existimetur non solum potuisse, verum etiam debuisse mentiri, si huic regulae conceditur locus. Non opus est hanc causam multis verbis agere, praesertim apud te, cui sapienter providenti dictum sat est. Nequaquam vero mihi arrogaverim, ut ingenium tuum, divino dono aureum, meis obolis ditare contendam: nec est quisquam te magis idoneus, qui opus illud emendet.“ — (ep. 40.)

Et post plura subjungit: „Quare arripe, obsecro te, ingenuam et vere christianam cum caritate severitatem ad illud opus corrigendum, atque emendandum, et *παλινῳδίαν*, ut dicitur, cane.“ (40. ep.)

Hae literae, satis amplae, Augustini jam episcopi, Paulo cuidam fratri fuerunt commissae, ut eas in Palaestinam perferret. Sed ille navigationis periculis territus, nec in Palaestinam iter prosecutus est, nec retulit literas,

verum in media via reliquit, ubi apographa sumta, et Romam usque propagata fuere, quorum aliquod per Sisinnium diaconum tandem post 5 fere annos absque nomine auctoris ex quadam insula Adriae ad Hieronymum perlatum est, simul autem fama tulit, ab Augustino librum contra Hieronymum Romam fuisse missum. Cuius rumoris invidiam depulsurus Augustinus, antequam rescriberet Hieronymus, brevem ad illum epistolam direxit, in qua haec leguntur:

„Audivi pervenisse in manus tuas literas meas, sed quod adhuc rescripta non merui, nequaquam imputaverim dilectioni tuae. Aliquid procul dubio impedimenti fuit. — Etiam hoc ad me sane perlatum, — suggestum esse caritati tuae a nescio quibus fratribus, quod librum adversus te scripserim, Romamque miserim. Hoc falsum esse noveris, Deum nostrum testor, hoc me non fecisse. — Memor nostri exaudiaris a Domino in omni sancto desiderio tuo Domine carissime, et desideratissime, et honorande in Christo frater.“ (ep. 67. ed. Ben.)

Hieronymus quasi non crederet epistolam illam, qua ad canendam palinodiam provocabatur, Augustini esse, in causae discussionem adhuc non descendit, sed brevibus respondit, inter alia dicens: „Ego simpliciter fateor dignationi tuae, licet stilus et ἐπιχειρήματα tua mihi viderentur: tamen non temere exemplaribus literarum credendum putavi.“ — Itaque si tua est epistola, aperte scribe, vel mitte exemplaria veriora, ut absque ullo rancore stomachi in scripturarum disputatione versemur, et vel nostrum emendemus errorem, vel alium frustra reprehendisse doceamus. — Nec tam stultus sum, ut diversitate explanationum tuarum me laedi putem; quia nec tu laedaris, si nos contraria senserimus. Sed illa est vera inter amicos reprehensio, si nostram peram non videntes, aliorum juxta Persium, manticam con-

sideremus. Superest, ut diligas diligentem te, et in scripturarum campo juvenis senem non provoces. Nos nostra habuimus tempora, et cucurrimus, quantum potuimus. Nunc te currente, et longa spatia transmeante nobis debetur otium; simulque . . . memento Daretis et Entelli; et vulgaris proverbii, quod bos lassus fortius figat pedem. Tristes haec dictavimus. Utinam mereremur complexus tuos, et collatione mutua vel doceremus aliqua, vel disceremus! — „Memento mei sancte ac venerabilis papa.“ (ep. 102.)

Nondum has Hieronymi perceperat Augustinus, cum per Cyprianum diaconum denuo scripsit Hieronymo, dehortans a nova versione veteris testamenti immediate ex fonte hebraeo suscepta, probans tamen castigationem vulgatae in novo foedere. Adjunxit autem apographa trium aliarum epistolarum, quas antea ad Hieronymum dimiserat, quin adhuc responsa percepisset. „Illas, inquit, etiam nunc mittere volui, ut scias in tua colloquia quam olim inardescam, et quam vim patiar, quod a me tam longe absunt sensus corporis tui, per quos adire possit ad animum tuum animus meus, mi frater dulcissime, et in Domini membris honorande.“ (ep. 71.)

Hieronymus priusquam hunc fasciculum literarum accepisset, primum querulosam reddidit epistolam absque causae controversae pertractatione. Indigne quippe tulit divulgationem illarum literarum, quas ipse, licet ad se directas, posterius acceperit, quam Italia et Roma. Et quia amici hoc ab Augustino non recta intentione factum dictitabant: Hieronymus calamum stringere compulsus, satis crasse Augustinum premit. — „Ut ante jam scripsi, inquit, aut mitte eandem epistolam tua subscriptam manu, aut senem latitantem in cellula lacessere desine.

Si autem tuam vis vel exercere, vel ostentare doctrinam, quaere juvenes et disertos et nobiles, quorum Romae dicuntur esse quam plurimi, qui possint et audeant tecum congredi, et in disputatione s. scripturarum, jugum cum episcopo ducere. Ego quondam miles, nunc veteranus, et tuas, et aliorum debeo laudare victorias, non ipse rursus effoeto corpore dimicare; ne si me frequenter ad rescribendum impuleris, illius recorder historiae, quod Hannibalem juveniliter exsultantem Q. Maximus patentia sua fregerit:

„Omnia fert aetas, animum quoque: saepe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles.
Nunc oblita mihi tot carmina: vox quoque Moerin
Jam fugit ipsa.“

„Ne videamur certare pueriliter, et fautoribus invicem vel detractoribus nostris tribuere materiam contendendi, haec scribo, quia te pure et christiane diligere cupio, nec quidquam in mea mente retinere, quod distet a labiis. Non enim convenit, ut ab adolescentia usque ad hanc aetatem in monasteriolo cum sanctis fratribus labore desudans, aliquid contra episcopum communionis meae scribere audeam: et eum episcopum, quem ante cepi amare, quam nosse: qui me prior ad amicitias provocavit; quem post me orientem in Scripturarum divinarum eruditione laetatus sum.“ — „Addis praeterea te paratum esse, ut si quid me in tuis scriptis moverit, et corrigere voluero, fraterne accipias, et non solum mea in te benevolentia gavisurum; sed ut hoc ipsum faciam deprecaris. Rursum dico quod sentio, provocas senem, tacentem stimulas, videris jactare doctrinam. Non est autem aetatis meae putari malevolum erga eum, cui magis favorem debeo.“ (ep. 105.)

Observavit Augustinus jam ex prioribus Hiero-

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 161 von 290

nymi literis offensum illius animum; itaque ocyus ad literas confugit, in quibus multa nobilissimi sui animi testimonia dedit. „Obsecro te, inquit, per mansvetudinem Christi, ut si laesi te, dimittas mihi, nec me vicissim laedendo malum pro malo reddas. Laedes autem me, si mihi tacueris errorem meum, quem forte inveneris in factis, vel dictis meis. Nam si ea in me reprehenderis, quae reprehendenda non sunt, te laedis magis quam me, quod absit a moribus, et sancto proposito tuo.“ — „Potest enim fieri, ut tibi aliud videatur, quam veritas habet, dum tamen abs te aliud non fiat, quam caritas habet.“ — „Illud, quod in extremo epistolae tuae posuisti, cum magni desiderii suspirio vel lego, vel recolo. „Utinam, inquit, mereremur complexus tuos; et collatione mutua, vel doceremus aliqua, vel disceremus. Ego autem dico, utinam saltem propingvis terrarum locis habitaremus; ut si non possunt misceri nostra colloquia, literae possint esse crebriores. Nunc vero tanto locorum intervallo absumus a sensibus nostris, ut de illis verbis apostoli ad Galatas, juvenem me ad tuam sanctitatem scripsisse meminerim, et ecce jam senex necdum rescripta meruerim. — Tantae autem mihi in literis tuis, quae in manus nostras venire potuerunt, apparent res, ut nihil studiorum meorum mallem, si possem, quam inhaerere lateri tuo. Quod ego quia non possum, aliquem nostrorum in Domino filiorum erudiendum nobis, ad te mittere cogito, si etiam de hac re tua rescripta meruero. Nam neque in me, tantum scientiae scripturarum divinarum est, aut esse jam poterit, quantum inesse tibi video.“ „Rogo te, si fieri potest, ut inter nos quaeramus, et disseramus aliquid, quo sine amaritudine discordiae corda nostra pascantur, fiat. Si autem non possum dicere, quid mihi emendandum videatur in scriptis tuis, nec tu in meis, nisi cum suspicione invidiae, aut laesione

amicitiae, quiescamus ab his, et nostrae vitae salutique parcamus. Minus certe assequatur illa, quae inflat, dum non offendatur illa, quae aedificat. Ego me longe esse sentio ab illa perfectione, de qua scriptum est, siquis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Sed plane in Dei misericordia puto me posse facile abs te petere veniam, siquid offendi, quod mihi aperire debes; ut, cum te audiero, lucreris fratrem tuum.“ (ep. 73. ed. Bened.)

Hactenus mera praeludia; adhuc enim Hieronymus de loco illo s. Pauli (ep. ad Gal. 2, 14.), qui jam in annos distraxerat animos amborum, nihil declaravit, nullamque Augustino vel satisfactionem vel refutationem dedit. At postquam supra memoratum fasciculum literarum per Cyprianum diaconum accepisset, tandem ad meritum causae ingressus, longam exaravit apologiam, quae inter epistolas eius (ed. Vall.) est 112. En extractum:

„Siquid reprehensione dignum putaveras in explanatione nostra, eruditionis tuae fuerat quaerere, utrum ea, quae scripsimus, haberentur in graecis, ut si illi non dixissent, tunc meam proprie sententiam condemnares: praesertim quum libere in praefatione confessus sum Origenis Commentarios me esse sequutum.“ — Hanc autem explanationem, quam primus Origenes in decimo Stromateon libro, ubi epistolam Pauli ad Galatas interpretatur, et ceteri deinceps interpretes sunt sequuti, illa vel maxime causa subintroducunt, ut Porphyrio respondeant blasphemanti, qui Pauli arguit procacitatem, quod principem apostolorum Petrum ausus est reprehendere, et arguere in faciem, ac ratione constringere, quod male fecerit, id est in eo errore fuerit: in quo fuit ipse, qui alium arguit delinquentem. Quid dicam de Joanne, qui dudum in pontificali gradu, Constantinopolitanam rexit

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 163 von 290

ecclesiam, et proprie super hoc capitulo latissimum exaravit librum, in quo Origenis et veterum sententiam est sequutus? Si igitur me reprehendis errantem, patere me, quaeso, errare cum talibus; et quum me erroris mei multos socios habere perspexeris, tu veritatis tuae saltem unum astipulatorem proferre debebis.“ — „Didicimus, quod propter metum Judaeorum et Petrus et Paulus aequaliter finxerint se legis praecepta servare. Qua igitur fronte, qua audacia Paulus in altero reprehendit, quod ipse commisit? Ego, imo alii ante me exposuerunt causam, quam putaverant, non officiosum mendacium defendentes, sicut tu scribis; sed ostendentes honestam dispensationem, ut et apostolorum prudentiam demonstrarent, et blasphemantis Porphyrii impudentiam coercerent, qui Paulum et Petrum puerili dicit inter se pugnasse certamine: imo exarsisse Paulum in invidiam virtutum Petri, et ea scripsisse jactanter, quae vel non fecerit, vel si fecerit, procaciter fecerit id in alio reprehendens, quod ipse commiserit. Interpretati sunt illi, ut potuerunt. Tu quomodo istum locum edisseres? utique meliora dicturus, qui veterum sententiam reprobasti.“ — „Totius sermonis tui, quam disputione longissima protraxisti, hic sensus est: ut Petrus non erraverit in eo: quod his, qui ex Judaeis crediderant, putaverint legem esse servandam: sed in eo a recti linea deviavit, quod gentes coegerit judaizare. Coegerit autem, non docentis imperio, sed conversationis exemplo. Et Paulus non contraria sit locutus his, quae ipse gesserat; sed quare Petrus eos, qui ex gentibus erant, judaizare compelleret. Haec ergo summa est quaestionis, imo sententiae tuae, ut post evangelium Christi bene faciant judaei credentes, si legis mandata custodiant, hoc est, si sacrificia offerant, quae obtulit Paulus, si filios circumcidant, si sabbatum servent, ut Paulus in Timotheo, et omnes

observavere judaei. Si hoc verum est, in Cerinthi et Ebionis haeresim delabimur, qui credentes in Christo propter hoc solum a patribus anathematizati sunt, quod legis ceremonias Christi evangelio miscuerunt; et sic nova confessi sunt, ut vetera non omitterent. — „Peto in fine epistolae, ut quiescentem senem olimque veteranum, militare non cogas, et rursum de vita periclitari. Tu, qui juvenis es, et in pontificali culmine constitutus, doceto populos, et novis Africae frugibus Romana tecta locupletato. Mihi sufficit cum auditore, et lectore pauperculo in angulo monasterii susurrare.“ (ep. 112.)

Quae praeterea prolixe scripsit de hac materia, non tam ad suam interpretationem firmandam, quam aliqua Augustini argumenta impugnanda pertinent. Quem non multo post alia brevi epistola blande allocutus quodammodo prioris epistolae libertatem excusavit, et inter cetera scripsit: „Obsecro, ut ignoscas pudori meo, quod diu ut rescriberem, praecipienti negare non potui. Nec ego tibi sed causa causae respondit. Et si culpa est respondisse, quaeso ut patienter audias, multo major est provocasse. Sed facessant istiusmodi querimoniae: sit inter nos pura germanitas; et deinceps non quaestionum, sed caritatis ad nos scripta mittamus, — in scripturarum campo si placet, sine nostro invicem dolore ludamus.“ (ep. 115.)

Nunc Augustinus replicabat, et longa praeclaraque deductione (ep. 82.) causam controversam ita confecit, ut communi eruditorum, etiam acutissimi theologi s. Thomae Aquinatis judicio, Hieronymo superior evaderet. Quod igitur olim accidit inter Petrum et Paulum, ut minor praevaleret maiori: hoc post 4 fere saecula renovatum est in ipsissima causa inter Hieronymum et Augustinum, ut scilicet junior superaret veteranum. Cete-

rum, fatetur Augustinus, non se in argumentando semper accurate locutum fuisse; summam tamen rei in hac epistola procul dubio egregie tuebatur; et quidem quoad antiquiorum (Origenis, Chrysostomi etc.) sententias reponit: Ego fateor caritati tuae, solis eis scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati; nihil aliud, quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assequutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliud existimo: prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle, tamquam prophetarum, vel apostolorum: de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est.“ — „At enim satius est credere apostolum Paulum aliquid non vere scripsisse, quam apostolum Petrum non recte aliquid egisse. Hoc si ita est; dicamus (quod absit) satius esse credere mentiri evangelium, quam negatum esse a Petro Christum.“ — „Non est, inquis, credibile, hoc in Petro Paulum, quod ipse Paulus fecerat, arguisse. Non nunc inquiro quid fecerit; quid scripserit quaero: hoc ad quaestionem, quam suscepi, maxime pertinet; ut veritas divinarum scripturarum ad nostram fidem aedificandam memoriae commendata, non a quibuslibet, sed ab ipsis apostolis, ac per hoc in canonicum auctoritatis culmen recepta, ex omni parte verax atque indubitanda persistat. Nam si hoc fecit Petrus, quod facere debuit; mentitus est Paulus,

quod eum viderit non recte ingredientem ad veritatem evangelii. Quisquis enim hoc facit, quod facere debet, recte utique facit. Et ideo falsum ab illo dicit, qui dicit eum non recte fecisse, quod eum novit facere debuisse. Si autem verum scripsit Paulus; verum est, quod Petrus non recte tunc ingrediebatur ad veritatem evangelii. Id ergo faciebat, quod facere non debebat: et si tale aliquid Paulus ipse jam fecerat, correctum potius etiam ipsum credam coapostoli sui correctionem non potuisse negligere, quam mendaciter aliquid in sua epistola posuisse, et in epistola qualibet: quanto magis in illa, in qua praelocutus ait: quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior? Ego quidem illud Petrum sic egisse credo, ut gentes cogeret judaizare. Hoc enim lego scripsisse Paulum, quem mentitum esse non credo. Et ideo non recte agebat hoc Petrus. Erat enim contra evangelii veritatem, ut putarent, qui credebant in Christum, sine illis veteribus sacramentis salvos se esse non posse. Hoc enim contendebant Antiochiae, qui ex circumcisione crediderant: contra quos Paulus perseveranter, acriterque confligit. Ipsum vero Paulum non ad hoc id egisse, quod vel Timotheum circumcidit vel Cenchreis votum persolvit, vel Jerosolymis a Jacobo admonitus, cum eis, qui noverant, legitima illa celebranda suscepit; ut putari videretur per ea sacramenta etiam christianam salutem dari: sed ne illa, quae prioribus, ut congruebat, temporibus in umbris rerum futurarum Deus fieri jusserat, tamquam idololatriam gentilium damnare crederetur.“ — „Ipse vero Petrus, quod a Paulo fiebat utiliter libertate caritatis, sanctae ac benignae pietate humilitatis accepit: atque ita rarius et sanctius exemplum posteris praebuit, quo non dedignarentur, sicubi forte recti tramitem reliquissent, etiam a posterioribus corrigi; quam Paulus, quo confidenter auderent etiam

minores maioribus pro defendenda evangelica veritate, salva fraterna caritate resistere. Nam cum satius sit, a tenendo itinere in nullo, quam in aliquo declinare; multo est tamen mirabilius et laudabilius, libenter accipere corrigentem, quam audacter corrigere deviantem. Est laus itaque justae libertatis in Paulo, et sanctae humilitatis in Petro; quae quantum mihi pro modulo meo videtur, magis fuerat adversus calumniantem Porphyrium defendenda, quam ut ei daretur obtrectandi maior occasio; qua multo mordacius criminaretur christianos fallaciter vel suas literas scribere, vel Dei sacramenta portare. — Flagitas a me, ut aliquem saltem unum ostendam, cuius in hac re sententiam sim sequutus; cum tu plures nominatim commemoraveris, qui te in eo, quod adstruis, praecesserunt.“ — „Porro, si quaeras vel recolas, quid hinc senserit noster Ambrosius, quid noster itidem Cyprianus, invenies fortasse, nec nobis defuisse, quos in eo, quod asserimus, sequeremur. Quamquam sicut paulo ante dixi, tantummodo scripturis canonicis hanc ingenuam debeam servitutem, qua eas solas ita sequar, ut conscriptores earum nihil in eis omnino errasse, nihil fallaciter posuisse non dubitem.“ — „Si quid autem in te peccavi, dimittas mihi;“ — „atque identidem rogo, ut me fidenter corrigas, ubi mihi hoc opus esse perspexeris. Quamquam enim secundum honorum vocabula, quae jam ecclesiae usus obtinuit, episcopatus presbyterio maior sit: tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est: licet etiam a minore quolibet non sit refugienda, vel dedignanda correctio.“ — (ep. 82.)

Plura de hac quaestione inter ambos doctores non disserebantur, atque sic finita est longa concertatio, nec dubium, Hieronymum transivisse ad Augustini sententiam. Certe eum amare non destitit, nam et postea familiares cum eo literas fovit, quamquam huius quaestio-

nis non meminisset. Augustinus autem in epistola ad Oceanum data expresse dicit Hieronymum, in opere recentissimo, quod sub nomine Critobuli adversus Pelagium modo edidit, eandem de ista re gesta, dictisque apostolicis sententiam tenuisse, quam, inquit, beatissimi Cypriani etiam nos secuti sumus. (ep. 180.)

„Ut igitur et monere, et moneri proprium est verae amicitiae: et alterum libere facere, non aspere, alterum patienter accipere, non repugnanter: sic habendum est, nullam in amicitiis pestem esse maiorem, quam adulationem.“ (Cic. in Lael.)

Articulus X.

Epistola ad Ephesios.

§. 62.

Origo et dignitas ecclesiae Ephesiae.

Paulus, qui urbes principales, tamquam scopo suo convenientissimas, pro centro praedicationis eligere consveverat: Ephesum quoque longo labore sub svave Christi jugum redegit. Fuit Ephesus proconsularis Asiae metropolis, caput Joniae ad mare Icarium sita, olim totius Asiae celeberrimum emporium. Ut etiam religioso respectu centrum evaderet provinciarum asiaticarum, effecit famossimum templum Dianae, ducentis viginti annis a tota Asia aedificatum, et inter septem mundi miracula numeratum. Hic igitur aliud templum non manufactum erigere, quod gloriam illius miraculi obscuraret, opus erat magno apostolo dignum, praesertim cum Ephesii, prout in Actibus apostolorum legitur, superstitioni gentili admodum essent dediti, et libros magicos deperirent.

Prima initia religionis christianae Ephesus forte ab aliis, quam a Paulo accepit, ex continuo commeatu illuc adlata: at ecclesiam ibidem merito Paulus dicitur fundasse, et constituisse, quia ordinati coetus ante Paulum nulla adsunt indicia. Primo quidem apostolus tantum in transitu devertit Ephesum, redux e secunda peregrinatione, at Aquilam et Priscillam ibi reliquit interea etiam, donec promissioni conformiter illuc rediret. Et hoc intermedio tempore evangelium zelose propagavit Apollo, sed cum imperfecte doceret, ab Aquila et Priscilla melius informatus fuit. Paulus igitur Ephesum reversus christianos in urbe jam invenit, e quibus erant viri 12, qui ab eo interrogati, num Spiritum s. jam acceperint, responderunt: „Sed neque si Spiritus s. est, audivimus, tincti solo baptismo Joannis. Quare baptizati per impositionem manuum Pauli acceperunt Spiritum s. ita ut loquerentur lingvis, et prophetarent.“ Abhinc Paulus per tres menses in synagoga docebat, sed contumaces expertus, in schola Tyranni cuiusdam duos annos praedicando explevit, ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, judaei atque gentiles. Ostium ergo apertum est ei magnum et evidens, ut ipse scribit in epistola ad Corinthios I. 16, 9. et adversarii multi. Sed et Dominus adiuvabat labores eius, largiendo virtutem miraculorum doctrinam comitantium et potenter commendantium, quo factum, ut Ephesii ad saniora conversi, integrum rogum librorum magicorum, 50 millibus denariorum aestimatum comburerent, verbumque Dei fortiter cresceret, et confirmaretur (Act. apost. 19.) quin per seditionem a Demetrio argentario contra eius praecones excitatam, quae Paulum ad discedendum movit, posset exstirpari.

Ex his intelligimus, quanta auctoritas ecclesiae Ephesinae obtigerit, quae scilicet triennali fere Pauli praedicatione plantata et rigata, a Deo autem singula-

ribus incrementis roborata, ramos extendit ad plures Asiae provincias, commercio spirituali et temporali sibi junctas. Aucta vero fuit dignitas ecclesiae, per clarissimos eius praepositos, in specie Timotheum, Pauli unanimem discipulum, in quo velut alterum se donabat ecclesiae; et Joannem apostolum, qui hic senectutem transegit.

Status ecclesiae ex epistola prosper potius intelligitur, quam tristis; nam dicitur 1, 15. 16. „Propterea et ego audiens fidem vestram, quae est in Domino Jesu, et dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis.“ Animum tamen Pauli sollicitum tenet periculum a falsis doctoribus imminens, quos jam tunc praedixit, dum majoribus natu ecclesiae Miletum ad se vocatis valediceret. Aiebat enim: „Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.“ (Act. ap. 20, 29.)

Illuc videtur alludere verbis: „ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris“ (4, 14.) item; „Nemo vos seducat inanibus verbis.“ (5, 6.) An vero jam grassati fuerint, ex hac quidem epistola non intelligitur; sed scripta Joannis evangelistae, Pauli praedicationem effectu non caruisse, luculente comprobant, quibus concinit epistola 2-a ad Timotheum Ephesiorum episcopum data.

§. 63.

Argumentum et primi lectores.

Argumentum epistolae ad Ephesios est dogmatico-morale per totam quidem epistolam permixtum, ita tamen, ut a potiori rem considerando, libellum in duo fere aequalia dimidia secet; priora nempe tria capita sunt do-

matica, posteriora vero totidem moralia. In illis apostolus doctrinas fidei sublimes tractat de divinis decretis vocationis et praedestinationis, de immensis christianae religionis beneficiis, de statu tam judaeorum, quam gentilium ante et post gratiam fidei, de potestate diaboli in haec inferiora, de unitate instituti divini, variorumque ecclesiae graduum destinatione. In altera parte hortatur ad dignam tanta vocatione vitam agendam, deponendum veterem, et induendum novum hominem, ad officia veracitatis et caritatis, denique specialiter monet maritos et conjuges, patres et filios, dominos et servos ad mutua officia rite praestanda.

Totum argumentum ita est generale, ut vix ulla praebeat specialium cujusdam ecclesiae adjunctorum indicia. Nihil respicit ad loci certi personas, necessitates, laudes, vel vituperia. Tantum de Tychico occurrit ad calcem: „Ut et vos sciatis, quae circa me sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus carissimus frater, et fidelis minister in Domino, quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscatis, quae circa nos sunt, et consoletur corda vestra.“ (6, 21. 22.) Sed nec hic designatur in specie locus, ad quem Tychicus missus fuerit, poterat autem more apostolorum ad plures ablegari ecclesias. Itaque verisimiliter Paulus hanc epistolam sic adornavit, ut complurium ecclesiarum fideles eam legerent, etiam tales, quorum institutionem non ipse perfecit. (3, 2.) Expresse quidem eam non praecipit in cyclum mitti, sed hoc forsitan supplevit viva voce, Tychicum ea de re commonendo. Prima abs dubio literas accepit Ephesus, et inde repetendum, quod traditio inscriptionem *τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ*, vel *πρὸς Ἐφεσίους* communem fecerit. Etiam s. Ignatius idem in sua confirmat, ad Ephesios data. Olim tamen in apographis quibusdam vel aberat omnis inscriptio, vel alia legebatur, uti apud Mar-

cionem, qui eam ad „Laodicenos“ inscripsit. S. Basilius vero testatur sua aetate nonnullos codices spatium illud, ubi nunc legitur ἐν Ἐφέσῳ vacuum exhibuisse, ut adeo alterius ecclesiae nomen inscribi posset. Et hanc videtur intelligere epistolam s. Paulus, Colossensibus, ad quos non multo post, vel eodem tempore scripsit, praecipiens ut epistolam ἐκ Λαοδικείας legant. Postquam nempe a Laodicensibus ad se pervenerit; ipsi vero vicissim ad se datam Laodicensibus communicent.

§. 64.

Adjuncta temporis et loci.

Paulus dum hanc epistolam scriberet, in vinculis fuit, vocat enim se vinctum Jesu Christi 3, 1. et alibi dicit: „Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis.“ Caesareensis captivitas, quae biennio duravit, non repugnaret quidem argumento epistolae, sed nec traditionis testimonium pro se habet, nec cum epistola ad Colossenses data consonat. Jam vero haec ex eadem captivitate, et per eundem Tychicum fuit missa, prout epistola ad Ephesios; et ideo etiam in exhortationibus ambae conveniunt. Quia vero epistola ad Colossenses Romae fuit scripta, uti nemo dubitat: ibidem etiam exarata sit, oportet. An prius, quam ceterae e prima captivitate missae, vel posterius, ambiguum fere; plerumque tamen ad initium captivitatis refertur, tam ab illis, qui duplicem admittunt, quam ab aliis, qui nunquam liberatum volunt Paulum, cum eo discrimine, quod isti epistolas, liberationis spem exprimentes, ad prius tempus attollunt, antequam scilicet in deterius verteretur causa Pauli; illi autem ordinem inver-

tentes spem liberationis circa exitum captivitatis affulsisse ponunt.

§. 65.

Observationes de argumento.

Epistola ad Ephesios cum epistola ad Romanos pari sublimitate, et obscuritate se distingvit ab aliis, ita ut inter difficillimas canonis partes numeranda sit. Venit hoc maxime ab argumenti indole, sed etiam a difficili rerum tam singularium elocutione.

Notari praecipue merentur: praeter alibi notata:

a) 2, 3. „Eramus natura filii irae, sicut et ceteri;“ in Concilio Tridentino adhibetur de peccato originali. Sess. 6.

b) „Christus dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet et ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.“ 5, 25—26.

Nota. Duos classicos textus ex c. 4–o huius epistolae jam in Introductione generali (p. 192) notavimus. De altero eorum, scilicet 4, 11. seqq. s. Augustino quaestionem posuit s. Paulinus Nolanus episcopus, ex divite ethnico ad religionem christianam conversus, ob eruditionem et eloquentiam ab ipso s. Hieronymo magnis laudibus celebratus, cui pariter, sicut s. Augustino familiaris fuit, et de scriptura epistolas mittere consvevit. Conf. excellentes Hieronymi literas, ad ipsum datas; in specie: De studio scripturarum, cum hoc exordio: Frater Ambrosius; tum: De institutione clericorum et monachorum, cum exordio: Bonus homo de bono thesauro cordis sui. De-

nique: De quaestionibus sibi propositis, huius exordii: Voce me provocas ad sribendum, terres eloquentia.

Paulinus igitur, circa annum 410-um per epistolam inter multa alia quaerit ex Augustino: „Nunc de apostolo quodcunque proponam. Dicit ad Ephesios, quod in alia epistola dixerat de gradibus vel ordinibus dispositionum Dei, operante Spiritu sancto divisiones gratiarum: *Et quosdam quidem dedit apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum,* et reliqua. Hoc opto, distingvas mihi in hac diversitate nominum, quae sit cuique nomini officiorum, vel gratiarum proprietas; quid proprium sit apostolorum, quid prophetarum, quid evangelistarum, quid pastorum, quidve doctorum. In omnibus enim his diversis nominibus simile et prope unum doctrinae officium video fuisse tractatum. Hos autem prophetas, quos post apostolos posuit, non puto illos esse, qui ordine temporum ante apostolos fuerunt; sed illos, quibus jam sub apostolis per gratiam donabatur aut interpretatio scripturarum et inspectio mentium, aut praedictio temporis secuturi . . . Inter pastores specialiter et doctores, quid intersit, dignoscere volo, quia praepositis ecclesiae utrumque nomen adscribi solet.“

Augustinus (ep. 149. ed. Bened.) rescribit inter plura: „Literae venerationis tuae, ubi multa quaesisti, et quaerenda admonuisti, et quaerendo docuisti, ad me pervenerunt.“ Quaestionem autem ipsam nr. 11-o sic breviter solvit: „De prophetis, quod ait apostolus: *Quosdam quidem dedit Deus in ecclesia apostolos, quosdam autem prophetas:* hoc intelligo, quod ipse scripsisti, prophetas eos dictos isto loco, ex quibus Agabus erat, non illos, qui venturum in carne Dominum prophetaverunt.

Evangelistas vero invenimus, quos apostolos fuisse non legimus, sicut fuerunt Lucas et Marcus. Pastores autem et doctores, quos maxíme, ut discernerem voluisti, eosdem puto esse, sicut et tibi visum est, ut non alios pastores intelligamus; sed ideo, cum praedixisset pastores, subjunxisse doctores, ut intelligerent pastores ad officium suum pertinere doctrinam" etc.

Articulus XI.

Epistola ad Philippenses.

§. 66.

Status ecclesiae Philippensis.

Philippi prima partis Macedoniae civitas, ut dicit Lucas in Act. ap. 16, 12. olim ad Thraciam pertinebat, et vocabatur Crenides, a Philippo autem patre Alexandri M. Macedoniae adjuncta, munita, et nomine Philipporum insignita fuit. Incolas potissimum gentiles Augustus Caesar colonia Romana auxit, unde Lucas urbem etiam coloniam vocat. Hic s. Paulus primus evangelium praedicavit in secundo suo itinere, erantque christiani Philippenses prima Domini vinea a s. Paulo in Europa plantata, atque tum idcirco, tum ob singularem mutuum amorem tenerrime dilecta, uti totius epistolae tenor ostendit. Nam cum a nulla alia ecclesia reciperet stipendium apostolicum: solis Philippensibus eam gratiam exhibuit.

Sed et alio titulo fuit Paulo memoria Philippensium pretiosa. Hic nempe contigit ei pro nomine Jesu contumeliam pati, quam forti animo sponte sustinens (potuerat enim, qua civis Romanus, a virgis immunis manere)

illam habuit coram Deo gratiam, ut nocte intempesta singulari miraculo vincula carceris aperirentur, et custos carceris cum tota domo baptismum admitteret. Itaque verbo et passionis merito acquisitos Philippenses retinuit semper in corde 1, 7. eisque saepius postea personalis praesentiae copiam donavit, in specie dum e secundo itinere rediret in Palaestinam, et in tertio itinere plus una vice, quo factum, ut ecclesia Philippensis confirmaretur, et exemplar aliarum evaderet, digna de cuius fidelibus Paulus praedicaret: „Lucetis in medio nationis pravae et perversae, sicut luminaria in mundo.“ (2, 15.)

Status itaque ecclesiae Philippensium, tempore datae ad eos epistolae, fuit laetus. Nec occurrit ulla reprehensio, aut exprobratio, contra vero laudantur a sua erga apostolum observantia, cui in vinculis romanis constituto per Epaphroditum stipendium subministrarunt. Similem erga vinctos benignitatem longe postea exercuerunt Philippenses; nam laudantur a s. Polycarpo Smyrnensium antistite ad initium saeculi 2-i sic ad eos scribente: „Magnopere congavisus sum vobis in Domino nostro Jesu Christo, quod verae charitatis imagines suscepistis, et quod . . . comitati estis eos, qui implicati sunt vinculis.“ Certe spiritus Pauli diu vixit in Philippensium animis; cum legamus, eos etiam in scriptis Ignatii martyris colligendis diligentiam adhibuisse.

§. 67.

Occasio et argumentum.

Occasionem discimus ex ipsa epistola. Philippenses quippe pro sua in apostolum charitate, vinculorum eius memores, Epaphroditum cum muneribus Romam ablegarunt,

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 177 von 290

quod Paulo magnum adtulit solatium; non tam ob munera, quam ob animum, quo illa missa fuere. „Gavisus sum, inquit, in Domino vehementer . . . Non quasi propter penuriam dico, ego enim didici, in quibus sum sufficiens esse, scio et . . . satiari et esurire, et abundare et penuriam pati, omnia possum in eo, qui me confortat: verum tamen benefecistis communicantes tribulationi meae . . . non quia quaero datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.“ (4, 12—14. 17.) Idem Epaphroditus Romae utilem operam navabat Paulo in praedicatione evangelii, sed postea gravi infirmitate correptus fuit, qua superata cum reditum pararet ad suos, Paulo occasionem dedit hanc ad eos epistolam mittendi.

In ea suum amorem contestatur apostolus erga Philippenses, testem invocans Deum, quomodo cupiat omnes in visceribus Jesu Christi, mox exponit sua adjuncta, et sociorum studia, collaudatis Philippensibus, quibus donatum est pro Christo, non solum ut in eum crederent, sed ut etiam pro illo paterentur. Haec. cap. 1. Hortatur deinde ad mutuam concordiam, propriique commodi abnegationem, proposito Christi exemplo, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Promittit adventum Timothei quem laudat, uti etiam Epaphroditum. De his agit cap. 2. In tertio confirmat illos adversus judaizantes pseudoapostolos, tum sinceram suam doctrinam, et intentionem commendat, eamque potius dicit sequendam, quam illos, quos, inquit, saepe dicebam vobis, nunc autem et flens dico inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Denique in ultimo

capite pathetica allocutione omnes vult aequanimes, modestos, cuiusvis boni studiosos, et in traditis constantes. Gratam facit memoriam doni per Epaphroditum missi, demum salutatione concludit. Brevis est epistola, sed quae miram habet svavitatem, et charitatis fraternae dulcedinem. Versatur autem tota fere in adhortationibus, quapropter libris moralis argumenti accensetur; pauca tantum admiscentur dogmatica et historica.

§. 68.

Locus, tempus et reliqua notatu digna epistolae ad Philippenses.

Epistolam in captivitate romana scriptam fuisse a Paulo, argumentum ejusdem clare testatur; loquitur enim de se, ceu vincto. Sic: „Scire vos volo fratres, quia quae circa me sunt, magis ad profectum venerunt evangelii, ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo, in omni praetorio et in ceteris omnibus, et plures e fratribus in Domino, confidentes vinculis meis, abundantius auderent, sine timore verbum Dei loqui.“ (1, 12—14.) Intelliguntur autem vincula romana, ut apparet ex capite 4. v. 22. ubi dicit: „Salutant vos omnes sancti, maxime autem, qui de Caesaris domo sunt,“ seu domestici Caesaris, qui utique Romae cum Nerone degebant. Id amplius patet e loco supra citato, ubi praetorii mentio fit. Sic vero tempus jam noscitur, scilicet captivitatis romanae biennium, etquidem talis epocha huius, in qua laetam fovebat spem libertatis recuperandae. Naim ait: „Confidens scio, quia manebo, et permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, et gaudium fidei.“ (1, 25.) Et iterum: „Confido autem in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito.“ (2, 24.) Loca pro usu vitae praecipua jam alias notavimus. Adde sequentia:

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 179 von 290

„Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.“ 1, 21.

„Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quae sua sua sunt, singuli considerantes, sed ea, quae aliorum.“ 2, 2—4.

„Nostra conversatio in coelis est, unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia.“ 3, 20. 21.

„Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus prope est. Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum.“ 4, 4—6.

Articulus XII.

Epistola ad Colossenses.

§. 69.

Origo et adjuncta ecclesiae Colossensium.

Etsi tam profani quam ecclesiastici scriptores, imo codices quoque biblici in eo dissentiant, utrum urbs, ad quam Paulus apostolus brevem dedit epistolam, Colossae vel Colassae sit appellanda: et quamvis non defuerint, qui de urbe Rhodo, solis colosso celeberrima, cogitarent: vix tamen dubitare licet: civitatem Phrygiae huius nominis praesentibus literis honoratam. Nam ista est longe potior antiquorum traditio, et confirmatur eo, quod Laodicea

supponatur vicina dum mutuam epistolarum inter fideles utriusque urbis communicationem svadet Paulus. Laodicea autem Colossis vicina, in Phrygia est quaerenda.

Porro haec epistola novum est documentum late patentis curae pastoralis, quam apostolus gentium notis et ignotis exhibuit. Dicit enim se Colossensibus ignotum esse: „Volo, inquit, (2, 1.) vos scire, qualem sollicitudinem habeam pro vobis, et pro illis, qui sunt Laodiceae, et quicunque non viderunt faciem meam in carne.“ Ecclesia igitur Colossensium ab alio, quam a s. Paulo fundata fuit, isque communiter existimatur Epaphras, de quo dicit: „sicut didicistis ab Epaphra carissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu.“ (1, 7.) Transivit quidem apostolus per Phrygiam semel et iterum (Act. ap. 16, 6. 18, 23.) et quos invenit discipulos confirmavit, Colossis tamen et Laodiceae non fuit, uti verba ipsius plane sumta demonstrant. Statum ecclesiae didicit ab Epaphra ipsum conveniente, cuius relatio causam, reditus autem Tychici occasionem scribendi fecit. Teste epistolae argumento Epaphras optima quaeque de ecclesia insinuavit: in ea nempe verbum veritatis evangelii fructificare, et crescere ex ea die, qua audivit, et cognovit gratiam Dei in veritate; manifestavit etiam dilectionem Colossensium, quam habebant in sanctos omnes (h. e. fideles) ut adeo fides Colossensium fuerit viva, quae per caritatem operatur.

Adjecit vero Epaphras magnae suae sollicitudinis manifestationem, propter falsos doctores, qui ecclesiae Colossensium imminebant, varios errores partim e pseudophilosophia, partim e judaismo acceptos docentes. In specie de angelis, cibis et festis inania jactabant, et ut simplicibus facilius fucum facerent, doctrinam suam sublimis philosophiae specie vestiebant. Ideo apostolus in eodem contextu trinis vicibus inculcat, ne se permittant

decipi, vel seduci. „Hoc autem dico, inquit, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum.“ 2, 4. Et iterum: „Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam.“ 2, 8. Denique: „Nemo vos seducat, volens in humilitate, et religione angelorum, quae non vidit, ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae.“ 2, 18.

§. 70.

Locus, tempus et argumentum.

Ad finem epistolae sacer auctor haec duo ponit effata, e quibus locum commorationis licet intelligere, sc. „Salutat vos Aristarchus concaptivus meus“ 4, 10. item „Memores estote vinculorum meorum“ 4, 18. In vinculis ergo „gaudebat in passionibus, et adimplebat ea, quae desunt passionum Christi in carne sua.“ 1, 24, habuitque socios, uti epistola monstrat, Timotheum, Aristarchum, Lucam, Demam, Tychicum etc. Haec omnia sunt certa captivitatis romanae indicia. Aristarchus enim et Lucas ipsum Romam comitati sunt vinctum, Timotheus vero in aliis quoque epistolis Roma datis occurrit. Itaque haec epistola eodem in loco et probabiliter eodem tempore scripta fuit cum epistola ad Ephesios, et Tychico commissa. Idem probat argumentum, quod epistolae ad Ephesios multum simile in ipsis phrasibus aliquando convenit. Dividitur aeque in duas aequales partes dogmaticam, et paraeneticam. Illa versatur in celebranda Jesu Christi dignitate, quem Patris imaginem appellat, Dei et hominum mediatorem, ecclesiae caput, divinaeque naturae, potestatibus et omnibus coelestibus virtutibus excellentiorem. Hinc beneficium redemtionis ab ipso praestitum est summum, et sine legalibus ceremoniis sufficientissimum. In altera parte hortatur ad vitam ita instituendam,

sicut homines cum Christo redivivos deceat, quorum caput in coelis constitutum, eos ibi coronis donandos exspectat. Deinde variis officiis, pro diversitate classium praescriptis, et salutationibus epistolam absolvit.

§. 71.

Memorabilia alia de epistola ad Colossenses.

Praegnans haec epistola gravitate doctrinae et unctionis inter epistolas Pauli dignum occupat locum. Sane nobilem excitant sensum sequentia monita:

„Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt, quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram; mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.“ 3, 1—4.

„Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.“ 3, 16.

„In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere.“ 4, 5. 6.

Nota. Jam antiqui patres per modum resolutarum quaestionum aliqua huius epistolae aspera loca explanavere. Huc pertinet difficilis pericopa 2, 18—23. in qua dilucidanda tam s. Hieronymus, quam s. Augustinus a postulantibus provocati operam locabant. Jucunda vero non minus, quam utilis est collatio exegeseos utriusque, quum de eodem textu independenter ab invicem, quisque pro suo ingenio, scripserit.

Prior Hieronymus ab Algasia matrona gallica provocatus, exeunte anno 406-o, vel sub initium sequentis resolvit undecim quaestiones ad se perlatas, quarum decima fuit: „Quid sibi velit, quod apostolus ad Colossenses scribit: *Nemo vos superet, volens in humilitate mentis, et religione angelorum*, et reliqua. In responsione satis prolixa Hieronymus ostendit se philologum in lingvis biblicis apprime versatum, qui usum loquendi tam locis parallelis, quam provincialibus phrasibus confirmare novit, et contextum logicum haud neglexit. (ep. 121.)

Augustinus vero circa a. 410. a. s. Paulino Nolano in eadem epistola, cuius post epistolam ad Ephesios excerpsi particulam, interpellatus fuit his verbis: „In epistola Colossensium omnino intelligere non possum, quod ait: *Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione angelorum, quae non vidit, ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae, et non tenens caput.* — De quibus angelis dicit? Si de inimicis, et malis, quae illorum religio, aut quae humilitas, et quis sit magister seductionis huius? ... Deinde in subsequenti capite adjecit: *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis, quae sunt omnia in interitum ipso usu secundum praecepta et doctrinas hominum, rationem quidem habentia sapientiae in superstitione et humilitate, ad non parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.* — Quae sunt ista, quibus et rationem sapientiae inesse testatur magister veritatis, et tamen ipsam veritatem religionis inesse abnegat? ... Rogo ergo specialiter, haec capitula duo de Colossensium epistola per singula mihi verba dissolvas“ etc. — Augustinus respondens diffundit se per totum caput secundum ejusdem epistolae, usum faciens etiam graecae lingvae, et lectionum variantium. Ad illa autem verba: „Ne tetigeritis ne gustaveritis“ etiam tonum pronunciationis et compositionem vultus tamquam subsidium hermeneuticum requi-

https://data.onb.ac.at/rep/10775992

rit, prout et nos aliquando fieri oportere tradidimus. Verba eius huc spectantia transscribimus, in exemplum, quam antiquus regularum nostrarum hermeneuticarum sit usus. „In epistola ad Colossenses, inquit, quod scriptum est: Nemo vos seducat in humilitate, et cetera, quae sequuntur, quousque tibi obscura esse dixisti: nec ego adhuc sine caligine intelligo, atque utinam praesens de me ista quaesiisses. In eo quippe sensu, quem mihi in his verbis habere videor, adhibenda est quaedam *pronuntiatio in vultu et modo vocis*, qui exprimi literis non potest, ut ex qua parte aperiatur, quod ideo fit obscurius, quia non recte, ut existimo, pronunciatur. Quod enim scriptum est: Ne tetigeritis, ne gustaveritis, ne adtaminaveritis — tamquam praeceptum putatur apostoli, nescio quid tangere, gustare, adtaminare prohibentis. Contra est autem; si tamen in tanta obscuritate ista non fallor. *Per irrisionem* quippe verba posuit eorum, a quibus eos nolebat decipi, atque seduci, qui discernentes cibos, secundum culturam angelorum, atque ita de hoc mundo decernentes, dicunt: Ne tetigeritis, ne gustaveritis — cum sint omnia munda mundis, et omnis creatura Dei bona sit, quod in alio loco ipse evidenter commendat.“ (ep. 149.)

Articulus XIII.

Epistola I. ad Thessalonicenses.

§. 72.

Notitiae historicae de Thessalonicensium conversione et adjunctis.

Thessalonica totius Macedoniae populosissima et opulentissima civitas, olim vocabatur Thermae, sed Cas-

sander ei ampliatae nomen suae uxoris Thessalonicae, filiae Philippi Macedonis, imposuit. Paulus in secundo suo excursu Philippis discedens, per Amphipolim et Apolloniam devenit Thessalonicam, ubi erat synagoga judaeorum; illam secundum consvetudinem ingressus per sabbata tria disserebat eis de scripturis, demonstrans Christum oportuisse pati et resurgere a mortuis, esse autem ipsum Jesum, quem annunciat. Fructus praedicationis fuit copiosus, nam teste Luca multitudo magna, et mulieres nobiles non paucae crediderunt evangelio (Act. ap. 17, 1—4.). Sed brevi post zelantes judaei commoverunt malos homines de vulgo, et praetendentes, apostolos facere contra decreta Caesaris, quod regem alium Jesum praedicant, ipsos principes civitatis impulerunt, ut a Jasone, in cujus domo habitabant apostoli, fidejussores acciperent. Paulus igitur nocte Beroeam petiit, inde vero Athenas. Cum ibi frustra exspectaret Timotheum, transivit Corinthum, et hic demum voti damnatus est, recreatus quippe praesentia et relatione Timothei de statu Thessalonicensium. Quantum ex epistola cognoscitur, Thessalonicenses christiani, non obstante brevi, quam perceperant, institutione bonos fecerunt in vita religiosa progressus, et manserunt firmi in medio tribulationum ab adversariis venientium. Laudat enim eos his verbis: „Et vos imitatores nostri facti estis, et Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus s. ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia et Achaja, sed et in omni loco fides vestra, quae est ad Deum, profecta est, ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui.“ 1, 6—8. Item: Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis. Vos enim imitatores facti estis

fratres ecclesiarum Dei, quae sunt in Judaea, in Christo Jesu, quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a judaeis.“ 2, 13. 14. — Sed et tertia vice collaudat ipsos ob fidem et caritatem eorum a Timotheo sibi relatam, vixque verba invenit, quibus gaudium suum exprimat. 3, 6—9. Aliqua tamen scribit, quae formam correctionis habere videntur tam in fide, quam in moribus. Errores forte subrepserint, vel per adversarios religionis, vel etiam per insufficientem, et a quibusdam forte male intellectam institutionem. Circa fidem errabant de adventu Domini aliter sentientes, quam oporteret; circa mores autem, otiose et impudice vivendo; nec mirum, in ampla civitate, et opibus florente nonnullis haec vitia adhaesisse, praesertim trium sabbatorum institutione non satis excultis.

§. 73.

Argumentum locus et tempus.

Argumentum dictis adjunctis ecclesiae conforme est. Laetatur apostolus de Thessalonicensium constantia, laudat eorum virtutes, et propensionem erga se, erroribus medetur de adventu Domini, et luctu pro defunctis, opportuna praecipit, exhortatione tandem ad exercendas virtutes finem imponit. Scripsit autem, non ut subscriptiones quaedam volunt, Athenis, quae opinio ex male subsumtis verbis Pauli: „placuit nobis remanere Athenis solis.“ 3, 1. originem sumsit, verum Corinthi. Illa enim verba puram narrationem praeteritorum referunt, quin de commoratione scribentis accipienda sint. — Quoniam vero Timotheus tempore datae epistolae jam cum Paulo agebat, imo materiam scribendi subministrabat: atque ex Act. ap. constat, Timotheum et Silam Corinthi apostolo occurrisse 18, 5. patet epistolam ibidem scribi debuisse,

et quidem post aliquam moram, quando jam fides Thessalonicensium in Achaja divulgari potuit.

§. 74.

Notatu digna de textu epistolae I. ad Thessalonicenses.

Ambae ad Thessalonicenses epistolae prima sunt Pauli producta literaria, et sola ex itinere secundo. — Jam tunc apostolus „mores hominum multorum vidit, et urbes“ jam fortia cum adversariis certamina sustinuit, opponendo se corruptoribus doctrinae aut sapientiae mundanae placitis; jam passus est pro doctrina, quam in Asia et Europa, ipsis adeo Athenis praedicaverat, et reliquorum apostolorum consensu signatam habuerat: si igitur post tot res praeclare gestas calamum stringit: quis non desideret literas eius legere et ad lucem illarum animum ipsius intueri? Jam vero literae, de quibus agimus, Paulum fideliter praesentant. Suae sublimis vocationis sensus, doctrinae evangelicae divina auctoritas, et erga fideles tenerrima charitas ita ex ipsis resplendent, ut insignia apostoli facta pulcherrimum commentarium acquirant, et comprobent Paulum, qui fecerit et docuerit, eundem semper fuisse.

Observandum praeterea, epistolas illas maximum dilectionis affectum exprimere, quae datae sunt ad Macedones, nempe ad Philippenses et Thessalonicenses; ut dici debeat: hos Paulo fuisse charissimos. De Philippensibus patet; de Thessalonicensibus vero sufficiat haec adducere: „Cupide volebamus tradere vobis non solum evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam carissimi nobis facti estis.“ 2, 8.

Textus mente reponendos accipe sequentes:

„Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione . . . et nequis supergrediatur,

neque circumveniat iu negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut praediximus vobis, et testificati sumus.“ 4, 3. 6.

„Rogamus vos fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, et praesunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum — pacem habete cum eis.“ 5, 12. 13.

Argumentum epistolae est historico-practicum, paucis occurrentibus dogmaticis.

Nota. De loco hujus ep. 4, 15. seqq. „Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini“ etc. amplior facienda est mentio; quoniam ab antiquissima aetate singularem in ecclesia attentionem excitavit. Testantur id inter alia binae *s.* Hieronymi literae, quibus quaestiones de illo loco sibi positas pertractat, adductis aliorum quoque sententiis. Imo data occasione etiam tertio disserit de hoc textu ep. 121. nr. 11. Primum interpellatus fuit a Marcella matrona romana circa a. 395, cui breviter satisfecit ep. 59. ad quaest. 3-m. Post undecim autem annos nova adductus est occasione, eandem rem uberius deducendi in ep. jam §. 54. citata ad Minervium et Alexandrum (119.) de qua, ipsam quidem responsionis materiam hic apte extrahere longum foret: sed ad curiositatem inflammandam, haec accidentalia subjungo:

Ad initium:

„In ipso jam profectionis articulo sancti fratris nostri Sisinnii — haec qualiacunque sunt, dictare compellor. Multas sanctorum fratrum ac sororum de vestra provincia ad me detulit quaestiones, ad quas usque ad diem epiphaniorum largissimo spatio me responsurum putabam. Quumque furtivis noctium lucubratiunculis ad plerasque dictarem, et expletis aliis me ad vestram, quasi ad difficillimam reservarem, subito supervenit, asserens se illico profecturum. — Nec magno mihi apud vos labore opus

est, quod philosophum quemdam in svadendo rustico esse perpessum narrant fabulae. Vix dum dimidium, inquit, dixeram, jam intellexerat. Itaque et ego tempore coarctatus, singulorum vobis, qui in sacram scripturam commentariolos reliquerunt, sententias protuli . . . ut non meae voluntati, sed vestro acquiescatis arbitrio."

Ad finem:

„Haec celeri sermone dictavi, quid eruditi viri sentirent, vestrae prudentiae exponens. Neque enim tanta est meae pusillitatis auctoritas, qui nihil sum, et invidorum tantum morsibus pateo, quanta eorum, qui nos in Domino praecesserunt ... Meum propositum est antiquos legere, probare singula, retinere quae bona sunt, et a fide ecclesiae catholicae non recedere."

Articulus XIV.

Epistola II. ad Thessalonicenses.

§. 75.

Adjuncta epistolae II. ad Thessalonicenses.

In priori sua ad fideles Thessalonicenses data epistola s. Paulus inter cetera scripsit: „Nos fratres, desolati a vobis ad tempus horae, aspectu non corde, abundantius festinavimus faciem vestram videre cum multo desiderio; quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus et semel et iterum, sed impedivit nos satanas." 1, 17. 18. Item: Quam gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum, nocte ac die abundantius orantes, ut videamus faciem vestram, et compleamus ea, quae desunt fidei vestrae. Ipse autem Deus

et Pater noster, et Dominus noster Jesus Christus dirigat viam nostram ad vos.“ 2, 9—11. Cupiebat igitur vehementer eos revisere, sed cum voto non potiretur, alteram scripsit epistolam, quae suam praesentiam utcunque suppleret. Spe mutandorum adjunctorum moras nectere noluit, nam Thessalonicenses ocius erant informandi, eo quod error circa adventum Domini non cessaverit, imo priori epistola forte male intellecta, porro ecclesiam turbaverit.

Verisimile est, illa Pauli verba: „Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus“ haec inquam verba minus recte fuisse accepta, ut aliqui ex his concluderent, vivente praesenti generatione jam instare diem ultimi judicii, ex quo errore facile manavit alter, scilicet frustra esse laborare, unde otio vacantes aliis oneri erant.

Haec progerminantia lolia ex novello agro christiano auferenda erant, praesertim si importuni magistri plura insuper serere, et ut successum haberent, epistolam quampiam Paulo supponere audebant. Illud enim haud obscure colligitur e sequentibus: „Rogamus vos fratres . . . ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam, quod instet dies Domini.“ 2, 1. 2. Idem indicare videtur subscriptio epistolae, ubi dicit: „Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola; ita scribo.“ Scilicet ut suae literae a suppositis distingverentur, signo quopiam eas reddidit cognoscibiles; hoc autem necessarium non erat, nisi jam exemplum suppositionis innotuisset.

His omnibus motus Paulus posteriorem hanc ad Thessalonicenses direxit epistolam, cuius argumentum tribus capitibus comprehensum haec habet:

C. 1. laudat lectorum suorum fidem et caritatem abundantem, ita ut ipse glorietur in ecclesiis Dei de illorum constantia, quae amplam reportabit mercedem in die retributionis, sicut inimicorum perversitas poenam.

C. 2. agit de ultimo Christi adventu, quem precedet Antichristus, et magna defectio a fide, monetque insistere doctrinae a se traditae. *)

C. 3. hortatur primum ad orandum pro fidei profectu, dein ad laborandum, revocato in memoriam suo proprio exemplo; inobedientes vult notari, et declinari, ut confundantur.

Brevis hic libellus non caret effatis, gravi usu theologico celebratis. Talia sunt praeter alibi notata:

„In revelatione Domini Jesu de coelo cum angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt evangelio Domini nostri Jesu Christi, qui poenas dabunt in interitu aeternas.“ 1, 7—9. Locus ad probandam obligationem fidei percommodus.

„Ne quis vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis: et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum, cuius est adventus

*) Antilogia inter utramque epistolam ad Thessalonicenses in hoc argumento, apparens est, non vera. In priore diem Domini repentinum fore dixit, instar furis; hic signa praevia ostendit. Sed utique signa ista impii non credent, et ideo dum nec cogitabunt, imminebit illis judicium. Bonos non obruet improvidos.

secundum operationem satanae: in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus.“ 2, 3. 8. 9.

„Siquis non vult operari, nec manducet.“ 3, 10.

Tempus, quo missa fuit epistola, magna cum verisimilitudine conjicere licet ex inscriptione, et argumento simili cum prima epistola. Illa enim convenientia fundat praesumtionem, utramque brevi intervallo ab invicem esse scriptam; nec in contrarium quidquam solidi potest proferri; quo posito, locus natalis epistolae secundae nec Roma est, nec Athenae, sed Corinthus. Inscriptiones quaedam per Titum diaconum et Onesimum acolythum referunt missam, sed de posteriori cogitandum non est, qui scilicet post multos annos Romae a Paulo, qui nullam facit captivitatis mentionem in hoc libello, conversus fuit.

Nota. Locus c. 3, v. 3. illis effatis biblicis adnumerandus est, quae plurimum habent caliginis. Sane jam s. Augustinus (De civitate Dei l. 3, c. 29.) candide agnoscit: „Ego prorsus, quid dixerit, fateor me ignorare.“ Valet autem instar exempli etiam pro eo, quod apostoli scripta sua intelligi voluerint juxta praecedentem praedicationem vivae vocis, proinde biblia nec unicum, nec absolutum fontem religionis consideraverint. Nam s. Paulus postquam praemisisset ea de discessione et filio perditionis, quorum nunc sensum vix ominari valemus, adjecit: „Non retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, haec dicebam vobis? Et nunc quid detineat, scitis, ut reveletur in suo tempore.“ 2, 5. 6. Provocat igitur ad suam doctrinam viva voce de hac materia propositam, et supponit eos plura scire. Utique sciverunt auditores Pauli plura, quae lucem scriptis phrasibus affundebant.

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 193 von 290

Articulus XV.

Epistola I. ad Timotheum.

§. 76.

Historia Timothei.

Timothei nomen graecum gessit s. Pauli discipulus, prae ceteris dilectus, Lystris Lycaoniae civitate ortus patre gentili, matre vero judaeo-christiana. Eunicem fuisse vocatam, aviam vero Loiden memoriae prodidit s. Paulus in epistola 2-a ad Timotheum, ubi ambas a fide laudat. Pia mater filium a teneris annis in sacris literis instituit, quas eum ab infantia nosse scribit apostolus. Bene igitur inter matris et sacrorum librorum disciplinam adolevit in spem optimae frugis, ita, ut a christianis non eiusdem tantum, sed et vicinae urbis Paulo commendaretur, dum ille in secundo excursu apostolico altera vice veniret Lystram et Iconium. Paulus juvenem sibi adjunxit, qui jam in flore aetatis fieret stultus propter Christum, sibique ecclesiam aedificanti pro tempore quidem calcem et arenam ministraret, subin vero aurum et argentum, et lapides pretiosos ipse superaedificaret. Ad hunc finem commodum visum fuerat Paulo Timotheum circumcidere, ut scilicet inter judaeos persona eius et opera magis accepta fieret. — Quod cum post concilium hierosolymitanum fecisset, ostendit majori se salutis animarum zelo, quam calumniarum metu fuisse impulsum. Abesse enim vix poterat, quin ob hoc factum alicuius inconstantiae argueretur vel doctrinae suae de legalibus non observandis contradictionem pararet.

Ab hoc igitur tempore Timotheus Paulo adhaesit, et fidelissima praestitit obsequia. Jam in eodem itinere, cum Paulus abiisset Athenas, Timotheum cum Sila celeriter ad se venire cupiebat, ast hoc primum tunc conti-

git, ubi relictis Athenis, Corinthum appulisset. Interea tamen Timotheum jussit redire prius Thessalonicam ad confirmandos christianos et exhortandos, qui inde Corinthum veniens, Paulo relationem solatio plenam de statu Thessalonicensium fecit, ibidemque in praedicando evangelio Paulum adjuvit, unde in ambabus epistolis ad Thessalonicenses, ex hac urbe datis, nomen eius in exordio occurrit. Legitur porro in fronte epistolarum ambarum ad Corinthios, item ad calcem epistolae ad Romanos. Itaque Ephesi simul erat cum Paulo, inde vero praemissus in Macedoniam, antequam perveniret Corinthum, Paulum Epheso supervenientem accepit, ideoque in epistola 2-a ad Corinthios hic exarata comparet. Abhinc iter Corinthum simul cum apostolo fecisse videtur, quia ex illa urbe salutat Romanos. Postea nulla eius mentio fit usque ad epistolas e prima captivitate romana scriptas, in specie ad Philippenses, Colossenses et Philemonem, quarum in exordio ita ponitur, sicut in ante memoratis epistolis, fuit igitur ad manum Pauli. Nec aliud exspectandum ab eius teneritudine, qua magistrum semper complexus erat, nisi ut laboranti in vinculis quoque opem et solatium ferret. S. Paulus non semel honorificam eius mentionem fecit; uti: „Misi ad vos Timotheum, qui est filius meus carissimus et fidelis in Domino.“ „Si venerit Timotheus: videte, ut sine timore sit apud vos: opus enim Domini operatur, sicut ego.“ *) At maxime de laudibus ejus testantur binae Pauli literae, ipsi inscriptae, in quibus carissimus filius vocatur, et homo Dei, praeceptaque accipit, quomodo gregi sibi commisso praelucere debeat, et sublime pastoris munus implere; quae dum Paulus Timotheo praecipit, eum tali exspectatione non esse inferiorem demonstrat, alioquin adhuc juvenem

*) I. ad Cor. 4. et 16. c. item ad Philipp. c. 2.

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 195 von 290

regimini ecclesiae non praefecisset. Fuit autem episcopus Ephesiorum, ut ipsa epistola docet. Praesentiam eius tanti fecit Paulus, ut in 2-a captivitate, dum sui resolutionem exspectaret, Timotheum accerseret, quasi heredem sui spiritus relicturus. Quamdiu vitam produxerit, et ubi terminaverit, incertum; constat solum frequentibus morbis laborasse, forte ideo, ut non solum agendo, sed et patiendo exemplum esset fidelium.

§. 77.

Argumentum et huius loca selecta.

Argumentum epistolae non est ad aliquam artem compositum, sed variis instructionibus refertum; potissimum vero agit de observandis a Timotheo qua episcopo, officiis, relate: *a*) ad falsarum doctrinarum disseminatores c. 1. et 4. propter quos praecipue Ephesi relictus est, ut ostendit initium epistolae, *b*) orationem publicam, c. 2. *c*) ordinationem episcoporum et ceterorum ecclesiae ministrorum, c. 3. *d*) viduas et modum correctionis, c. 5. *e*) servos et divites. Est igitur informatio pastoralis Timotheo data, qui Ephesinae ecclesiae praefectus, ubi ipse Paulus adversarios habuit multos (1. ad Corinth. 16, 9.) roborandus his monitis erat contra illos, qui necessariis dotibus non pollerent, ut adeo hinc tam ordinati virtutes perspicerent sibi comparandas, quam adspirantes. Loca frequentiori usu celebrata sunt.

1) „Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemtionem semetipsum pro omnibus.“ 2, 5. 6.

2) „Scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.“ 3, 15.

3) „Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.“ 5, 22.

4) O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae.“ 6, 20. *)

§. 78.

Cetera notatu digna de hac epistola.

Observatu dignum est, Paulum in hac epistola ad

*) Eximius hic locus a Vincentio Lirinensi in celeberrimo suo Commonitorio sic pertractatur: „*O Timothee*, inquit, *depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* O, exclamatio ista et praescientiae est, pariter et caritatis; praevidebat enim futuros, quos etiam praedolebat errores. Quis est hodie *Timotheus*, nisi vel generaliter universa ecclesia, vel specialiter totum corpus praepositorum, qui integram divini cultus scientiam vel habere ipsi debent, vel aliis infundere? Quid est, *depositum custodi*? Custodi, inquit, propter fures, propter inimicos, ne dormientibus hominibus superseminent zizania, super illud tritici bonum semen, quod seminaverat filius hominis in agro suo. Depositum, inquit, custodi. Quid est *depositum*? id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinae . . . in qua non auctor debes esse, sed custos. Depositum, inquit, custodi, catholicae fidei talentum inviolatum, illibatumque conserva. Quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc a te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde . . . O Timothee, o sacerdos, o doctor . . . intelligatur te exponente illustrius, quod ante obscurius credebatur; per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quae didicisti, doce, ut quum dicas nove, non dicus nova“ etc.

familiarem data, de se suoque apostolatu ita loqui, ut indignitatem suam palam asserat, quam modestiam illa forsitan dictaverit ratio, quod hic sublimes episcopi dotes describere voluerit, a Deo utique exorandas, qui de indignis etiam dignos facere possit. „Qui, inquit, prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus, misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.“ Et mox: „Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui crediturі sunt illi, in vitam aeternam.“ (c. 1, 13. 15. 16.)

Stylus huius epistolae non quidem ceteris Pauli libellis est dissimilis, plura tamen habet vocabula alibi non occurrentia. Ceterum hoc in aliis quoque scriptoribus observatur. Usus diuturnioris temporis, aut novitas materiae scriptorem ad construenda nova vocabula deducere solet.

Quamvis igitur novissimo tempore quidam eruditi authentiam epistolae oppugnaverint, styli diversitatem praetendentes: illa tamen consensu totius antiquitatis adeo est firmata, ut conjecturis internis nullo modo possit labefactari.

Documentum hoc pro disciplina ecclesiae peculiare pondus habet; nam si pleraeque epistolae, omnes passim fideles instruunt: ista pro ministris ecclesiae plurimum valet. Usus quoque eius liturgicus fit frequens, praesertim in missa, et officio de Pontificibus.

Diversissimae sunt sententiae eruditorum de tempore et loco, quo epistola scripta est. Nec lubet illis expendendis immorari, cum ultra hypothesim nulla assurgat. Praestat itaque fateri incertitudinem. Ipsae codicum subscriptiones, utpote recentiores, nihil decidunt.

Nota. Capitis 3. versus 16. continet celebrem illam lectionem variantem, de qua multum et acriter disputatum fuit. Textus receptus habet: *Θεὸς ἐφανερώθη*; pro voce *Θεός* alia documenta legunt vel masculinum relativi pronominis *ὅς*, vel neutrum *ὅ*. Vulgata postremum sequitur, sic exprimens: quod manifestatum est. Critici ipsi divisi sunt, maxime tamen praeferunt *ὅς*. Millius quidem putabat in codicibus uncialibus ex *ΘC* (*Θεος* antiquo more cum compendio scriptum) facile librarios incuriosos formasse *OC* (*ὅς*) cum, inquit, virgula per theta ducta, tenuissima plerumque fuerit, adeoque et aciem forte fugerit scribarum, praesertim festinantium. Sed alii pro lectione *ὅς* ad codices minoribus literis exaratos, et ad versiones provocant, ubi haec ratio cessat. Arbitrium fere deferebatur codici Alexandrino, Londini deposito, tanquam ex principibus uni; sed quid ille habeat, tam diverse fuit relatum, ut critici ipsum inspicientes vix propriis fiderent oculis. Millius domesticus, codice examinato, primum sibi deprehendisse videbatur lectionem *OC* absque lineola transversa, „verum postea, inquit, perlustrato attentius loco, lineolae, quae primam aciem fugerat, ductus quosdam ac vestigia satis certa deprehendi, praesertim ad partem sinistram, quae peripheriam literae pertingit.“ Luculentius autem propterea illam non apparere scripsit, quia recentior manus manifeste superinduxit lineolam crassiorem, ita ut correctio tegat ductum originarium.

Relatione Millii vulgata testimonium codicis Alexandrini dubium evasit. Hoc jam tempore theta fuisse in codice et Millius dicebat, et cuivis inspicienti ad oculum patebat: sed hanc lectionem non primae manui deberi, verum a Patricio Junio bibliothecae regiae praefecto fuisse efformatam notum fuit. Ille quippe circulo *O* inscripsit ductum crassiorem horizontalem, quo omicron mutatum est in theta.

De eo igitur nunc exarsit tota controversia, an etiam prima manus theta scripserit, seu an in circulo adfuerit ab origine lineola recta, literam theta designans, aut vero simpliciter scriptum fuerit omicron?

Aurum in visceribus terrae, uniones in fundo maris diligentius quaeri non possunt, ac lineola illa quaesita fuit ab eruditis in dicto circulo. — Subtilem calami ductum in libro, qui jam duodecim saeculorum vidit ventos, posse ita expallescere, ut fere dispareat, quis non scivisset? Si ergo vel modicissima detegi poterat umbra: vicisti theta, clarum de omicron triumphum reportasti! Quid igitur? Ad illius explorationem oculi armantur vitris elaboratissimis, folium versatur ad dextram et sinistram, liber solis radiis exponitur, et iterum subducitur: et quis crederet! lineola illa instar petulantissimi daemunculi venerabilem criticorum barbam vellicantis, jam adparet, jam dlsparet!

Millius, ut ipsum narrantem audivimus, prima vice lineolam non vidit, postea vidit. Wetstenius, dum juvenis Londini codicem Alexandrinum inspexisset, pariter nihil de lineola antiqua vidit, ideoque lectionem ὅς defendit. Sed impetitus mox fuit a censore suae editionis, in hunc sensum: episcopus Waltonus (celeberrimus polyglottorum Londinensium editor), atque Millius in Alexandrino legerunt Θεός, et Millius quidem, postquam locum repetitis vicibus et accuratissime inspexit: hic autem dicit, se id non ita comperisse. Utris credemus? an doctis illis anglis, an novo huic editori? Si de doctrina ageretur, facile expediri posset, utri esset credendum: sed agitur unice de testimonio oculorum atque fidei; et inde quidem stant duo viri accuratissimi, qui, quoties volebant, librum inspicere, et considerare potuerunt: hinc vero unus juvenis audax, qui codicem, ut ita dicam, nonnisi in transitu vidit. Sic censor Wetstenii.

J. Berriman anglus a. 1741 haec scripsit: Omnibus his testimoniis addo, meipsum etiam saepius, idque accurate, hunc manuscriptum codicem examinasse, et licet nudis oculis nunquam potuerim deprehendere ullam partem veteris lineae transversae, nec alii, qui me erant perspicaciores, vitro tamen adjutum, et radiis solis librum illustrantis, partem veteris lineae ad sinistram novae intra circulum videre potuisse; idem mecum viderunt eodem tempore duo alii, quorum alter non ad sinistram partem solum, verum etiam ad dextram, veteris lineae vestigia invenire potuit.

Haec moverunt Wetstenium, ut post triginta duos a prima inspectione annos, cum annum aetatis quinquagesimum quartum ageret, occasione itineris in Angliam suscepti, cum amico quodam denuo examinaret codicem Alexandrinum. Et primo quidem testatur, amicum suum non nudo solum, verum etiam vitris haud unius generis armato oculo secum simul codicem lustrasse, nec tamen quidquam observare potuisse, imo ille pronunciabat, a prima manu nunquam aliter hic scriptum fuisse, quam *OC*. Ipse tamen Wetstenius ad sinistram diligentius inquirens, invenit quidem lineolam, sed cum illam amico demonstrare vellet, ipsa evanuit! Idem phantasma saepius renovatum est non levi amborum stomachatione, donec amicus Wetstenii, furunculum visco apprehendisset. Observabat quippe lineolam illam, quae modo adparet, modo disparet, non in eadem pagina scriptam esse, ubi sunt voces *Θεὸς ἐφανερώθη*, sed in aversa, et constituere partem literae primae ε, vocis *ἐυσέβειαν*, charactere unciali huius formae Ϭ. Quoties enim, inquit Wetstenius, libro in mensa posito, folium quod considerabamus, foliis sequentibus ita impositum erat, ut totum folium proximum contingeret, atque tegeret, lineola illa conspici non poterat, quia membrana erat opaca, quamprimum vero folium illud ita erigebatur, et a sequen-

tibus separabatur, ut utraque pagina luce illustraretur, non haec tantum paginae aversae lineola, verum integrae literae et voces per membranam pellucidam conspiciebantur.“ Si non creditis, Auditores, ipsi lustrate!

Articulus XVI.

Epistola II. ad Timotheum.

§. 79.

Scopus epistolae, et argumentum.

Paulus in vinculis laborans, et a plerisque sociis destitutus oculos in Timotheum conjecit, illumque venire jussit, ut ex eius praesentia tam solatium, quam adjutorium caperet. Recreabat enim afflictum fidelitas et caritas Timothei, qui suam adhaesionem etiam lachrymis contestatus est, forte in postrema separatione, ubicunque demum illa contigerit, fusis. Praeterea plura habuit ei commendanda, quibus ad officium rite explendum confirmaretur. Hinc jam in epistola praevie varia monet, in specie vero de puritate et integritate doctrinae vult assidue sollicitum esse in verbi divini praedicatione, ita tamen instituenda, ut verborum contentiones et profana vaniloquia devitando, potius gravitate vitae pondus ei addat. Itaque evocatio et uberior instructio Timothei, constituunt scopum libelli vere paterno affectu scripti.

Brevis est epistola, sed gravis. Monitis pastoralibus admiscentur personalia Pauli adjuncta, partim praeterita, sed maxime praesentia, item capite 3-o praedictio temporis periculosi a perversis hominibus imminentis. Inde vero singula dicta peculiare pondus acquirunt, quod epistola scripta sit imminente morte. Luculentum ergo praebet documentum veri sensus Pauli. Qui cum nunc

etiam eundem exprimat zelum pro religione christiana propaganda et conservanda, quem olim: atque pro exantlatis laboribus coronam exspectet justitiae: apparet, eum de veritate factae revelationis, praedicataeque doctrinae ita persvasum habuisse, ut extra illam non speraret salutem. Ideo sollicite monet Timotheum, ut permaneat in iis, quae didicerit, eademque commendet fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.

§. 80.

Locus et tempus, quo data est.

De loco nullum est dubium: scripserat quippe Romae in captivitate constitutus. Nam laudat Onesiphorum, quod cum Romam venisset, sollicite ipsum quaesiverit, et invenerit, non utique olim, sed in statu praesenti; nam et illi, quorum nomine salutat Timotheum, Romani sunt, Eubulus, Pudens, Linus, et Claudia. At in tempore determinando bifariam abeunt sententiae. Alii priorem, alii posteriorem Pauli captivitatem assignant. Qui nempe duas distingvunt epochas vinculorum, nonnulli quidem primae, plerique tamen alteri epistolam hanc tribuunt. Nos quoque huic posteriori accedimus, ductu sequentium rationis momentorum.

1) Apostolus alias de captivitate sua romana ita scribit, ut sortis haud asperae repraesentationem praebeat, quod et Lucas in Actibus apostolorum confirmat. Poterat enim sociorum praesentia frui, fideles et infideles apud se colligere, religionis christianae propagationi vacare, oblata a fidelibus munera recipere, quin ab adversariis graviter impeteretur. At hic a multis discipulis derelictus, et ab Alexandro aerario vexatus apparet. Nec manifestat laetam illam spem liberationis, qua ductus

in epistola ad Colossenses et ad Philemonem jam adventum suum promiserat, hospitiumque sibi parari voluerat. Imo potius mortem sibi imminentem praesagit, tempus resolutionis instare dicens. Non quidem repugnat, ut una eademque captivitas ab initio mitis, postea durior evadat: sed fatendum, si hic idem evenisset, Apostolum exspectatione sua insigniter delusum fuisse, qui tamen multis attritus adversis, hominumque notitia exercitatus, non facile spem sibi fanaticam efformavit. — Quominus autem vice versa primum periculosa, et postea mitior ponatur captivitas; et haec epistola ad priorem epocham referatur, obstat finis Actuum apostolorum contraria indicans, tum illa maxima verisimilitudo, quod Nero prioribus regiminis annis mitissime regnans, Paulum, sententia sui procuratoris Festi et Agrippae regis innocentem declaratum, a Julio centurione, et Publio Melitensi praefecto, quibus insignia praestitit beneficia, probabiliter commendatum, humaniter exceperit, et tractaverit.

2) Adjuncta ad calcem epistolae memorata non conveniunt illi itineri, quod primum Romam instituit. In specie v. 13-us et 20-us. In illo legitur: „Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime autem membranas.“ In primo itinere Troadem non attigit, dum Romam duceretur. Transitus autem ille, quando e tertia peregrinatione apostolica per Macedoniam et Troadem in Palaestinam tendebat, tanto intervallo a captivitatis Romanae fine distat, ut credi non possit, eum post multos annos demum de suo pallio et libris fuisse sollicitum, cum omnia haec in detentione Caesareensi per festa frequentantes brevi post potuerit recipere. In vigesimo autem versu dicit: „Erastus remansit Corinthi, Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.“ Quae verba indicant, Paulum in societate Erasti

et Trophimi instituisse iter Romam per Corinthum et Miletum. Hoc autem rursum primo itineri non consonat, prout nec reditui jam memorato in Palaestinam, ante comprehensionem hierosolymitanam. Tunc enim Trophimus non remansit infirmus Mileti, sed secutus est Paulum Hierosolymam, ubi causa non ultima tumultus fuit. Act. ap. 21, 29. 30.

3) Traditio, in huiusmodi rebus optima magistra, fert Paulum binis vicibus Romae vincula sustinuisse. *) Quamquam autem non multi hoc factum aperte doceant, quia tamen provocat ad traditionem: audiri merentur. Contra vero, pro sententia illa, quae jam prima vincula Romana funesta fuisse tenet, nullus antiquorum aperte militat. Eusebius denique, Theodoretus, et Hieronymus diserte posteriori detentioni adscribunt epistolam, quorum vestigia sequi in re ista historica nulli dubitamus.

§. 81.

Memorabilia epistolae 2-ae ad Timotheum.

Epistola merito consideratur, tanquam testamentum s. Pauli, et qua talis mire aedificat attentum lectorem repraesentatione illius nexus, qui praesentem vitam cum futura jungit. Paulus in exspectatione suae resolutionis non cessat a praedicatione veritatis et virtutis, amoreque suorum, quos instar peregre profecturi patrisfamilias rite disponit, a periculis praeservat, amplectitur, velut recepturus. „Verbum Dei, inquit, non est alligatum; ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quae est in Christo Jesu cum glo-

*) Clemens Rom. ep. 1. ad Cor. c. 5. Tertullianus De praescr. c. 25. Dionysius episc. Corinth. apud Euseb. l. 2. c. 25. Eusebius Hist. l. 2. c. 22.

ria coelesti.“ Tum inconcussa fiducia animatus ostendit, se non pro mundi praemiis laborasse, sed pro Deo. „Scio, inquit, cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.“

Praeter jam citata effata, speciali memoria digni sunt sequentes textus:

„Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.“ 1, 14.

„Servum Domini non oportet litigare, sed mansvetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati.“ 2, 24. 25.

„Praedica verbum, insta opportune importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.“ 4, 2.

„Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex, non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum eius.“ 4, 7. 8.

Quaero 1) quid Apostolus intelligat per profana et vaniloquia 2, 16. item stultas et sine disciplina quaestiones? 2, 23.

2) Qui sunt semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes? 3, 7. item: prurientes auribus? 4, 3.

3) Quae est illa prima defensio, in qua Paulus licet ab omnibus derelictus, tamen liberatus est de ore leonis? 4, 16. 17.

Articulus XVII.

Epistola ad Titum.

§. 82.

De Tito.

S. Hieronymus in epistola ad Hedibiam [1]) scribit, Titum fuisse Pauli interpretem, sicut Marcum Petri. Certum est ab apostolo varia ecclesiarum negotia ei commissa fuisse, quod favorabilem de eius fidelitate et dexteritate opinionem indicat; vocat autem eum jam socium et adjutorem [2]), jam dilectum filium [3]), nam et in Christo genuit eum, seu ad religionem Christi juvenem gentilibus parentibus ortum convertit, cumque in causa legalium Hierosolymam profisceretur, viae comitem habuit, ut legitur in epistola ad Galatas his verbis: „Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circumcidi.“ 2, 3. Paulus, qui non multo post circumcidit Timotheum, in Tito simile quid perficere necessarium haud duxit. Adhibuit porro eum ad colligendam apud Corinthios, vicinasque ecclesias eleemosynam teste ep. ad Corinthios, post quam nulla eius mentio usque ad ep. 2-am ad Timotheum, in qua legitur in Dalmatiam abiisse. E versu 5 capitis 1-mi huius epistolae elucet, fuisse Titum in Creta relictum a Paulo, ut constitueret per civitates presbyteros, seu hierarchiam ordinaret, qua episcopus a Paulo Cretensi ecclesiae praefectus. Quando autem hoc factum, certe non constat. Transivit quidem Paulus penes Cretam insulam, dum Romam navigaret:

---

1) 120. col. 838.

2) Epistola 2-a ad Corinthios 8, 23.

3) Ad Titum 1, 4.

sed tunc ecclesiam ibi fundare non potuit, nec memoratur Titus in eius comitatu fuisse. Universim in Actibus apostolorum nulla Titi mentio occurrit. Mortuus esse creditur in Creta insula, ubi cathedralis ecclesia Titi, qua primi episcopi, nomen gerit, eiusque integrum adhuc caput ostentat.

§. 83.

Scopus et argumentum epistolae.

Pro ratione officii Tito impositi, ut nempe per civitates ordinaret praefectos et ministros ecclesiae, Paulus hac epistola id efficere vult, ut hoc ab illo quo melius in spiritu Christi fiat. Quare monita describit ad hunc scopum idonea; signanter, quales requirantur in episcopo, ceterisque ecclesiae ministris dotes, ne seu arrogantia adspirantium, seu errore ordinantis promoveantur indigni. Reflectit porro ad Cretensium pravas inclinationes, de quibus laudat testimonium domestici scriptoris Epimenidis, versu hexametro expressum. Mox digreditur ad variarum in humana societate conditionum officia commendanda, quales nempe oporteat esse senes, et juvenes, dominos et servos. Postea fidelitatem obedientiae erga omnes homines praecipit, argumento ab aequali redemtione omnium depromto, quae nulli non gratuita obtigit. Sub finem dispositiones de quibusdam personis facit, Titum ad se Nicopolim invitat, et salutationibus concludit. Argumentum itaque pastorale tractatur, prout in ambabus epistolis ad Timotheum, unde hae tres epistolae speciali nomine pastorales vocantur.

§. 84.

Alia epistolae huius adjuncta.

Tempus quoque huius epistolae prorsus est incer-

tum, prout 1-mae ad Timotheum. Sunt qui illa priorem, alii autem posteriorem dicant. A plerisque tempori post captivitatem Romanam assignatur. Locus in subscriptionibus ponitur Nicopolis, at non videtur apostolus iam ibi fuisse, sed potius illuc tetendisse pro hyeme traducenda; scribit enim: festina ad me venire Nicopolim, ibi enim statui hyemare.

Loca celebriora argumenti, quod cum epistolis ad Timotheum magnam habet affinitatem, haec notamus:

„Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatae sunt eorum mens et conscientia. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.“ 1, 15. 16.

„Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui eiusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.“ 3, 10. 11.

Praeterea duae pericopae liturgicae ex hac epistola leguntur in sacratissima festivitate Natalis Domini, scilicet: Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus etc. 2, 11—14. in missa prima; altera autem: Cum benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, 3, 4—7. in missa secunda.

Tatianus encratitarum auctor hanc epistolam ceteris praeferendam putabat, alii tamen haeretici, uti Marcionitae, eam reprobabant. Characterem authentiae tam in externis, quam in internis notis tam luculentum gerit, ut praeter recentissimos paradoxiarum aucupatores nemo usquam de illa dubitaverit.

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 209 von 290

Articulus XVIII.

Epistola ad Philemonem.

§. 85.

Occasio et reliqua adjuncta huius epistolae.

Occasionem et argumentum huius epistolae ad Philemonem enarrare, tantundem fere est, ac ipsam epistolam recitare. In brevissimo scilicet eius textu commendat apostolus Philemoni, ut Onesimum in gratiam recipiat, ipsi Paulo autem hospitium paret, quoniam sperat per orationes fidelium se donari ipsis. Occasionem scribendae commendationi dedit Onesimus, qui antea Philemoni a servitiis erat, sed patrato aliquo damno, forte rebus quibusdam surreptis, vel dimissus fuit, vel ipse profugit, et Romam venit, ubi a Paulo captivo doctrina evangelii imbutus, melioris vitae propositum cepit, ideoque cum epistola ad Philemonem remittitur, ut aeternum illum reciperet jam non ut servum, sed pro servo carissimum fratrem. Minus certa est conditio ipsius Philemonis. E textu quidem satis patet, fuisse hominem opulentum et beneficum, nam laudatur a caritate, quam habeat in omnes sanctos, quorum viscera per illum requievisse dicuntur: at num aliquod munus, forte episcopale gesserit, incertum. Et quia Onesimus in epistola ad Colossenses, dicitur ex illis esse, atque cum Tychico ad Colossenses dirigitur: verisimile fit, Philemonem ibidem habitasse, ac proinde caput vel membrum ecclesiae Colossensis fuisse. Eundem non minus, quam Onesimum Paulus Christro lucratus est, nam v. 19 dicit ad illum: „ut non dicam tibi, quod et teipsum mihi debes.“ Quomodo autem illud contigerit cum Paulus Colossis non fuerit, ignoratur. Forte in triennali commo-

ratione Ephesina, vel dum per Phrygiam, aliasque Asiae minoris provincias evangelium plantaret. E dictis jam patet, tam locus, quam tempus datae epistolae. Scripta nempe fuit eodem circiter tempore cum epistola ad Colossenses, Romae sub finem primae captivitatis, quando jam spes proximae liberationis affulsit.

§. 86.

Observationes in epistolam ad Philemonem.

Textus epistolae ad Philemonem illud praebet speculum, quo nobilissima Pauli humanitas ad vivum resplendet. Nihil enim tenerius dici potest, quam quod ad commendationem servi illius Paulus profert. „Obsecro, inquit, te pro meo filio, quem genui in vinculis . . . si habes me socium, suscipe illum sicut me, si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa . . . ego reddam.“ Quis fratrem despiciat, quis pretium animae christianae non ingenti prosequatur aestimio, si Paulus pro servo male sibi conscio sua viscera profudit? Praeterea Doctor gentium tot miraculis clarus, tot populorum subjectione potens, auctoritate apostolica munitus, non reputat infra dignitatem suam, curam impendere servo, epistolam scribere, et in hac se velut arbitrio Philemonis committere, cui cum posset imperare, fit supplex. „Volueram, inquit, eum mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis evangelii, sine consilio autem tuo nihil volui facere! propter caritatem obsecro“ etc. Talis tantaque caritas humilitati juncta ferocissimos etiam animos expugnat, et fert fructum centuplum.

Teste s. Hieronymo epistolam hanc praeclaram aliqui in ecclesia legi nolebant, quod esset familiaris, et privati argumenti, ex quo dogmata probari non possent. Frivola tamen haec ratio paucorum animis haesit. Non

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 211 von 290

quidem dogmata tractat: at sensum spirat multorum dogmatum fructum, et aedificationi aptissimum. Idcirco, ne alios fines memoremus, inspirationis divinae fuit objectum dignissimum.

S. Hieronymus Commentario speciali ipsam illustravit.

In canone olim propter exilitatem ultimum tenuit locum inter epistolas Pauli, nunc est penultima.

Articulus XIX.

Epistola ad Hebraeos.

§. 87.

De controversiis circa libros canonicos in genere.

Quanto pretiosior est veritatis possessio: tanto pluribus fere pugnis vel ambagibus acquiritur. Atqui ipsis fontibus veritatum revelatarum constat pretium, tam origine, quam certitudine summum; ut igitur magis aestimetur: Deus illos pluribus probari voluit periculis, ne per immeritum humanum favorem fidem sibi emeruisse viderentur. Quidam enim ex libris canonicis inter ipsos catholicos varie olim impetebantur, quo occasio data, imo necessitas fuit imposita, jura eorum ad catholici domicilii usum accurate inquirendi, et si crisim sustinuissent, eorundem pariter ac reliquorum auctoritatem fortius tuendi.

Si libros n. f. controversos ordine consideres, videbis talia opera in scopulos incurrisse, quae consensus eruditorum jam dudum summis vindicat apostolis, et quae argumenti excellentia eminent, praecipue ep. ad Hebraeos, Jacobi et Apocalypsis. Quaerere subit, an

scripta haec nobilissima, si revera sunt authentica, primis lectoribus, qui ipsa ex manibus Pauli, Jacobi, Joannis acceperunt, ulla moverint dubia? Quidvis potius credideris, quam istud. Et si movissent, praesto fuit occasio, auctorem et dignitatem eorundem certo cognoscendi. Proinde primi lectores non poterant epistolam ad Hebraeos inferiorem censere reliquis Pauli scriptis; multo minus lectores epistolae 2-ae Petri, qui jam primam ejusdem tenebant, vel primi lectores Apocalypseos poterant de pari cum reliquis libris canonica dignitate dubitare. Si ergo libri controversi hodie sunt apostolici et canonici, tales erant in ipsa origine apud primas ecclesias quibus destinabantur. Atqui tres memorati libri non ad unam, sed ad plurimas destinabantur ecclesias, nempe ep. Pauli, ad hebraeos per totam Palaestinam degentes, epistola Jacobi ad 12. tribus ubilibet dispersas, denique Apocalypsis ad 7 ecclesias Asiae minoris, quae satis ab invicem dissitae cum intermediis abs dubio librum communicabant. Magnum igitur orbem descripsit receptio prima librorum istorum, ceu canonicorum. Quomodo jam vocari possunt deutero-canonici, aut quis dicet eos primum saeculo 4-to auctoritatem canonicam fuisse sortitos?

Impugnabantur tamen et passim removebantur. Scilicet a privatis, qui traditioni propter argumenta quaepiam interna diffidere ceperunt, urgentibus praesertim adversariis argumento librorum non contentis. Interim autem fluvius traditionis placide decurrebat, et si hic ei agger difficultatum obstitisset: rursum deflexit aliorsum, vel si invalescens opinionum glarea aquam eius combibisset, per fundamentum tamen petrosum porro scaturiebat, scaturitque hodiedum.

Veritas potest nubibus instar solis contegi, sed lucere non desinit et transeuntibus nubeculis denuo afful-

get. Transiverunt ergo etiam librorum canonicorum nebulae, et demum in plena luce apparuit, rivum traditionis constanter fluxisse, quoniam praelectio librorum controversorum nunquam cessavit sub eorundem auctorum nominibus frequentari, quos primi lectores cognoverunt. Varias utique ambages traditionis rivus perfecit; interdum ab occidente ad orientem, alias vice versa deflexit, donec ab ecclesia super petram fundata in prima puritate ad omnes partes scaturivisset. Sic Apocalypsis in oriente impugnata praesidium invenit in occidente, ex adverso autem ep. ad Hebraeos sabulo occidentis contecta, pleno alveo excepta fuit ab oriente. Nam sub disputationibus privatorum ecclesiastica lectio mansit invariata, tandemque instar argumenti invincibilis causam controversorum decidit. Fundamentum ergo lectionis ecclesiasticae hic longe aliud, scilicet longe fortius esse debuit, quam in aliis quibusdam libris v. g. Pastore Hermae, vel epistola Clementis, qui quidem praelegebantur in ecclesiis nonnullis, at postea tam in oriente, quam in occidente ab usu ecclesiastico removebantur, tamquam ad canonem non pertinentes. Illud vero fundamentum traditio ecclesiarum apostolicarum praebuit, ob quam libri in canonem semel recepti constanter praelegebantur sub nominibus auctorum, quamqnam postea eruditi concertarent. Testimonia porro perseverantis in medio controversiarum lectionis infra dabimus.

§. 88.

Auctoritas canonica epistolae ad Hebraeos.

Quum non alii libri obtinuerint auctoritatem in ecclesia christiana, nisi qui ab apostolis traditi essent: liber novi foederis quiscunque, si probatur canonicus, eo ipso ab aetate apostolica descendere cognoscitur, imo

quoad epistolam ad Hebraeos argumenta canonicae auctoritatis, non tantum aetatem eius apostolicam declarabunt, verum pleraque etiam auctorem nominabunt, scilicet s. Paulum.

Jam vero canonica dignitas huius epistolae patet: 1) ex usu patrum veterum, et scriptorum ecclesiasticorum, 2) ex non interrupta lectione ecclesiastica, 3) ex indicibus librorum canonicorum.

Inter patres primum locum tenet, tam antiquitate, quam proxima sua ad principes apostolorum relatione s. Clemens Romanus. Ille vero in epistola 1. ad Corinthios saepius facit usum dictae epistolae, non quidem expresse eam nominando, sed tamen tanta cum verborum convenientia, ut nullum relinquat dubium. Id jam Eusebius vidit hist. eccl. l. 3. c. 38. dicens: Ecclesiae Romanae nomine ad Corinthiorum ecclesiam scripsit (Clemens), in qua cum multas inserat sententias, desumtas ex epistola ad Hebraeos, iisdemque interdum verbis utatur: satis indicat, opus illud nequaquam recens esse.

2-o. S. Irenaeus teste Eusebio in libello „variarum disputationum“ epistolae ad Hebraeos et Sapientiae Salamonis mentionem facit, et quasdam sententias ex iis libris adducit. (Hist. ecc. l. 5. c. 26.)

3-o. Clemens Alexandrinus in multis locis epistolam sub nomine Pauli allegat. (Stromat. l. 2. et 4.)

4-o. Origenes in eandem epistolam homilias conscripsit. (Euseb. hist. eccl. 6, 25.)

5-o. S. Hilarius (l. 4. c. 11. de Trinit.) allegat verba epistolae ad Hebraeos 1, 4. praemittens: Paulus ad Hebraeos dixit.

6-o. S. Hieronymus in ep. ad Dardanum testatur de veteribus scriptoribus: qui plerumque utriusque (ep. ad Hebraeos, et Apocalypsis) abutuntur testimoniis,

non ut interdum de apocryphis facere solent: sed quasi canonicis.

7-o. S. Augustinus in Enchirid. c. 8. in genere affirmat: illustres catholicae regulae defensores ea usos esse.

Haec sufficiunt, ut quisque admittat patres et veteres scriptores epistola ad Hebraeos tanquam divina usos fuisse.

II. Idem probatur ex usu lectionis ecclesiasticae.

Gravissimos huius testes agunt:

1) Versio syriaca Peschito et latina, quae inde ab apostolica aetate hanc epistolam translatam habent cum reliquis Pauli scriptis, itaque simul auctorem Paulum indicant.

2) Testis est Tertullianus l. De pudic. c. 20. Receptiorem esse apud ecclesias epistolam Barnabae illo apocrypho Pastore. Intelligitur autem ep. ad Hebraeos, quam Tertullianus vel forsitan alii quidam Barnabae tribuerunt, qua non obstante patet saeculo 2-o epistolam nostram apud ecclesias receptam fuisse.

3) S. Hieronymus in supra citata ep. ad Dardanum dicit hanc epistolam, quae inscribitur ad Hebraeos, non solum ab ecclesiis orientis, sed ab omnibus retro ecclesiasticis graeci sermonis scriptoribus, quasi Pauli apostoli suscipi, et quotidie ecclesiarum lectione celebrari.

4) Concilia africana Hypponense 393 et Carthaginense 3-um 397. determinantia, quidnam sit in ecclesia legendum sub nomine divinarum scripturarum, epistolam ad Hebraeos reliquis Pauli epistolis adnumerant, subjiciuntque: ita se a patribus legendum accepisse.

5) Innocentius 1-us pontifex in ep. ad Exuperium, a. 405. eam ceu Pauli opus inter canonicos libros re-

censet, quia sic, praeter alia, auctoritas lectionis ostendit.

III. Argumentum validissimum praebent etiam indices librorum canonicorum, qui epistolae ad Hebraeos inter alios libros divinos assignant locum. Huiusmodi sunt: Canon 85. apostolorum, catalogus concilii Laodiceni, Athanasii, Cyrilli hierosolymitani, Gregorii Nazianzeni, qui omnes 14 Pauli epistolas recensent, adeoque etiam auctorem ep. ad Hebraeos nominant, provocantes passim ad Patrum vel Majorum traditionem. Huc possunt referri codices tam graeci, quam omnium versionum praeter gothicam, ceu testes auctoritatis canonicae epistolae ad Hebraeos et originis Paulinae. Nullum enim manuscriptum superstes, nulla versio alteri tribuit librum hunc auctori, quam s. Paulo, ut adeo indices et codices simul sumti testimonium de Paulo auctore sufficientissime compleant, utpote omnium orientis et occidentis ecclesiarum traditionem enunciantes.

§. 89.

Difficultates.

Nemo miretur in tanta argumentorum copia inveniri tamen antiquos, et recentiores christianos, qui vel de canonica auctoritate, vel saltem de Paulina origine epistolae ad Hebraeos dubitaverint. Antiquis enim non omnia poterant collecta praesto esse, quae nobis patent, abludens autem forma epistolae, et facti circa illam abusus vehementer in devia inclinabant, cum sic difficultatibus motis facile posset occurri. Recentiores vero eruditi, in paradoxa longe proniores antiquis, a speciosis conjecturis tanto minus abhorrebant, quod antiquorum exemplo muniti essent. Porro difficultates partim in testimo-

niis, partim in internis notis haerent. Opponitur scilicet 1) tota ecclesia latina, tamquam epistolae ad Hebraeos repudiatrix, quod probare volunt *a*) catalogo anonymi apud Muratorium, epistolam omittente, *b*) facto s. Irenaei, qui in libris adversus haereses eam nuspiam laudat, *c*) relatione Eusebii Pamphili quatenus nonnulli ideo repudiarint epistolam ad Hebraeos, quod dicerent eam ab ecclesia Romana pro certa et genuina Pauli epistola non haberi (hist. l. 3. c. 3.). Alibi vero (l. 6. c. 20.) ipsemet ait eam etiamnum a quibusdam Romanis non haberi pro opere Pauli. *d*) Latinorum scriptorum, ut Cypriani, Lactantii, Arnobii silentio. Ipse Tertullianus unica vice eius meminit, sic autem ut non videatur ei divinam tribuere auctoritatem, *e*) testimonio s. Hieronymi, qui saepius asserit ep. ad Hebraeos a latina consvetudine non recipi (in Jesai. c. 6. et 8. item ep. ad Dard.) unde interdum dubitando dicit: „Siquis eam recipit.“ (in ep. ad Ephes. c. 2. in Zach. 8. et alibi) — 2) Opponuntur Origenes et Eusebius, quorum ille soli Deo notum esse dicit, quis auctor sit epistolae ad Hebraeos; iste autem scribit eam a nonnullis Barnabae, ab aliis Clementi Romano, in quem ipse quoque propendet, vel denique Lucae tribui. Hae sunt difficultates a testibus petitae; de internis a parte agemus.

§. 90.

Solvuntur.

Praetensa repudiatio nostrae epistolae ab ecclesia latina facta, reducitur ad privatas nonnullorum scriptorum opiniones, quae sensum ecclesiae non mutant, nec evertunt. Ostendimus enim ab ecclesiis eius lectionem constanter frequentatam fuisse, in specie hoc probat ver-

sio latina et Tertulliani effatum, quod utique ecclesiae latinae consvetudinem respicit in Africa existentis et Cypriano antiquioris. Etiamsi Cyprianus dubitasset: quod tamen e mero silentio non est certum: si tam ante illum, quam post illum teste concilio Carthaginensi epistola velut Pauli, et canonica fuit recepta: manebit Cypriani opinio privata, epistolae nihil praejudicans. Quod latinae ecclesiae membra specialius laboraverint in epistola ad Hebraeos agnoscenda: causa erant haeretici, ibidem hoc libro abutentes. — At vero sensum ecclesiae Romanae mansisse, qui fuit tempore Clementis Romani, inde etiam sequitur, quia ecclesia Africana, Romanae filia, a patribus accepit 14 epistolas Pauli, prout etiam Innocentius 1-us traditionis Romanae acerrimus vindex (vid. Introd. gener. pag. 23 et 25) asserit. Quae autem fuerit aliorum latinorum consvetudo, colligere licet e. s. Ambrosio, Optato, Augustino, Gaudentio (ep. Brixiensi) Rufino, Paulino, qui omnes tempore s. Hieronymi epistolam sub Pauli nomine allegant, in specie Rufinus dicit: „Patres illos libros intra canonem conclusisse, in quorum serie refert 14 epistolas Pauli. Philastrius autem episc. Brixiensis, etsi 13 epistolas adscribat Paulo in enumeratione librorum canonicorum, mox tamen distincte ponit haeresim quorumdam de epistola Pauli ad Hebraeos.

Latina igitur consvetudo, teste Hieronymo epistolam nostram non recipiens ad paucos scriptores restringitur, qui latinam ecclesiam haud repraesentant.

2) Difficultas ab Origene et Eusebio plane evanescit, animum reflectendo ad propriam utriusque fassionem alibi expressam. Origenes enim fatetur ipse, res et cogitata esse Pauli, et siquae ecclesia illam Paulo tribuat, hoc nomine laudandam esse; quia, inquit, Majores non sine causa eam Pauli esse tradiderint. Si tamen ipse

dictionem et compositionem alteri tribuat, substantiam rei utique non mutat. Nam et alias epistolas Paulus dictavit, si vero hic cogitata sua absque dictamine per alium componi fecit, epistola tamen manet jussu et nomine Pauli scripta, ab eoque non tantum probata, sed etiam substrato donata. Ceterum Alexandrini scriptores omnes eam Paulo tribuunt ante et post Origenem, uti Pantaenus, Clemens, Dionysius, Alexander, Athanasius. Nec pluris est, quod ab Eusebio petitur. Ille enim ubi suam exponit sententiam, 14 epistolas tribuit Paulo, et omnes inter homologumena biblia numerat l. 3. c. 25. Conjecturas ergo aliorum referendo historicum egit, non criticum. Fuerunt autem illae nonnullorum tantum, et ibi fundatae, quod a Romanis putarent epistolam repudiari; quae ratio quam sit infirma, e dictis patet.

§. 91.

Argumentum epistolae ad Hebraeos.

Epistola ad Hebraeos argumento differt ab aliis Pauli scriptis, quoniam potissimum in Christi munere sacerdotali explicando versatur, insertis, aut ad calcem adjectis opportunis exhortationibus, quae lectores in fide Christi confirmarent. Est ergo epistola didactico-paraenetica, quin partes argumenti praecise possint secerni. Totus certe id agit apostolus, ut suos in amore religionis christianae qua docendo, qua hortando confirmet. Quia vero ad hebraeo-christianos direxit sermonem: pericula illa erant inprimis removenda, quae constantiam eorum poterant labefactare. Idcirco multus est in comparatione sacrificiorum veteris foederis cum sacrificio Christi, spectata tam personarum dignitate, quam sacrificiorum efficacia. Haec est materia priorum fere 10

capitum, eo observato, quod c. 3-o et 4-o adhortationem, sub finem autem capitis quinti, et per decursum 6. objurgationem interponat propterea, quod cum deberent magistri esse propter tempus, rursum indigeant. ut doceantur, quae sint elementa exordii sermonum Dei, factique sint, quibus lacte opus sit, non solido cibo.

Inde autem a. 19-o v. cap. 10-mi transit ad exhortationes, ita tamen, ut rursum cap. 11-o fidei praestantiam doceat, exemplis majorum confirmatam, quae ipsos constantes reddere debeat inter adversa. Sub finem pauca subjungit personalia.

§. 92.

Auctoritati apostolicae non obstant notae internae.

In notis internis offenduntur aliqua, quae auctoritati canonicae, vel saltem Paulo ceu auctori obstare videbantur. Omnia utique quae divino charactere essent indigna, simul Paulum auctorem excluderent: at non vice versa, nam posset epistola esse divina, quin eam Paulus vel immediate, vel mediate exaraverit.

Porro divinae auctoritati cuiusdam scripti adversantur omnia illa loca, quae sanum sensum, scilicet analogiae religionis revelatae conformem non admittunt. Si ergo similia ex ep. ad Hebraeos produci possent, actum utique foret de illius charactere canonico. Sed quae huius generis jactantur; procul abest, ut quod volunt, evincant. Sic provocant:

1) Ad phrasim initio epistolae occurrentem de Christo, qui 1, 3. dicitur splendor gloriae et figura substantiae Dei item v. 4. „Tanto melior angelis effectus.“ Quasi haec creaturam indicarent, filiumque non ab aeterno genitum, sed angelis praestantiorem effectum. Sed sensus horum

verborum est: Christus est lumen de lumine et imago substantiae Dei, quam, sibi communem, perfecte repraesentat. Nativitate igitur aeterna est lumen de lumine consubstantialis Patri, ita istam repraesentans, prout ipse dixerat Philippo: „Philippe, qui videt me, videt et Patrem.“ Nihil ergo haec dignitatem Christi minuunt, praesertim quum mox addatur, portansque omnia verbo virtutis suae, hoc est omnia sustentans et conservans, quod utique divinae omnipotentiae est attributum. Illud autem: „Tanto melior angelis effectus“ idem significat: ac tanto magis angelis praelatus, nempe quoad humanam naturam, postquam in hac, opere redemtionis consummato, ad dexteram Dei assumtus est, ut immediate praecessit. v. 3.

2) Adversari videtur sanae doctrinae locus, 1, 5. ubi auctor probare volens, Christum angelis esse superiorem, testimonio utitur e 2. Reg. 7, 17. desumto, verbaque de Salamone dicta: „Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium“ ceu prophetica sumit de Christo.

Respondemus: Salamonem esse typum Christi, ut aliunde quoque constat; verba igitur citata proxime quidem in illo, mediate vero etiam in Christo esse impleta, itaque sicut aliis epistolis Pauli nihil derogant huiusmodi citationes mediato sensu factae, sic neque hic infringunt auctoritatem epistolae.

3) Impetitur locus 6, 4—6. „Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste, et participes facti sunt Spiritus s. – – et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam.“ Hic docere videtur auctor apostatis aliisque gravium criminum reis non dari veniam, et reconciliationem, quod tamen doctrinae Christi, et praxi ecclesiae repugnat. Attamen vox: „Impossibile“ non plus denotat, nisi perdifficile, sicut et ipse Christus docuit Matthaei 12-o peccatum in Spiritum

sanctum non remitti, neque in hoc, neque in futuro saeculo, licet solum perdifficilem intellexerit veniae consecutionem. Similes nempe formulae ex intentione loquentis aestimandae sunt, in qua minus interdum est, quam in verbis hyperbolice sumtis, e. g. „Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.“ etc. Jam vero intentio auctoris epistolae ad Hebraeos non fuit docere absolutam veniae impossibilitatem, uti patet ex propriis eius verbis, in decursu epistolae occurrentibus, quibus lapsos ad poenitentiam excitat e. g. „Adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.“ 3, 13. „Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.“ 4, 16. „Si sangvis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sangvis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.“ 9, 13. 14.

Difficultas cernitur in 9, 4. ubi auctor dicit in arca testamenti fuisse urnam auream, habentem manna, virgam Aaronis, quae fronduerat, et tabulas testamenti; cum tamen juxta 3. Reg. 8. in arca solae fuerint duae tabulae legum. At vero per breviloquentiam ea, quae adjacent, simul cum contentis possunt comprehendi; proinde virga Aaronis et vas cum manna, etsi in arca non fuissent, aderant tamen, et cum tabulis legum sunt enumerata. Exempla similium loquendi formularum adfert Estius in comentario huius loci.

Haec sunt maxime memoratu digna, quae e notis internis contra epistolae auctoritatem proferri solent. Aliqua eorum Arianis, alia Novatianis favere videntur, unde non mirum, si utrique hoc libro contra catholicam doctrinam abusi, quibusdam catholicis epistolam reddidere

suspectam, indeque repetenda est eiusdem olim agnitae, posterior impugnatio.

Quae vero auctorem a Paulo diversum indicare videntur, haec fere sunt:

a) In capite epistolae nec nomen exponitur scriptoris, nec lectores nominantur, quibus destinata est epistola, atqui Paulus utrumque facere solet, imo etiam in medio tractatu, vel ad finem aliquando nomen suum exprimit. (Cf. I. ad Thess. 2, 18. – II. ad Thess. 3, 17. – ad Ephes. 3, 1. – ad Philem. 9, 19. 1. ad Corinth. 16, 21. etc.)

Fatemur hanc observationem attentione dignam esse, quae sine dubio pluribus jam olim fucum fecerit. Sed quid obstabat, quominus a consvetudine semel recederet? Anne adeo gravis, vel inviolabilis fuit exordiendi formula, ut mutari non posset? Sane epistolam I–am Joannis, nemo hac de causa impugnavit, licet nec nomen scriptoris, nec locum destinationis exprimat. Ratio vero apud utrumque eadem esse poterat omissionis. Nempe quod ambo quidem exhortationem absentibus destinatam scriberent, magis tamen in forma tractatus cuiusdam, quam stricte dictae epistolae. Alii alias assignarunt causas. In specie Pantaenus saeculi 2–i scriptor ait, Paulum se, apostolatumque suum ex modestia non exposuisse, quod ipse Christus esset Hebraeorum apostolus, prout c. 3. v. 1. scribit: „Fratres: . . . considerate apostolum et pontificem confessionis nostrae Jesum.“ Pantaeni vero auditor Clemens Alexandrinus juxta Eusebium l. 6. c. 14. inscriptionem: „Paulus apostolus“ recte omissam fuisse observat. Cum enim Hebraeis scriberet, qui sinistram de ipso opinionem multo ante combiberant, ipsumque suspectum habebant: prudenti consilio illos absterrere statim ab initio, apposita nominis sui subscriptione, noluit. Idem tenet Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus.

b) Urgetur magna styli discrepantia a reliquis Pauli epistolis. Est enim ista epistola omnibus aliis elegantior, styloque graeco magis puro concinnata, quod jam Origenes observavit. Major cernitur in sententiis rotunditas, et in oratione numerus, hebraismi vero rariores, quam secus apud Paulum. — Ad haec universim reponere juvat: argumentum a stylo desumtum tam in sacra, quam in profana literatura parum decidere. Omnis enim auctor stylum nonnihil variat, prout diversa aetate, vel diverso de objecto scribit. Certe Lucae stylus alter est in evangelio, quam in Actibus apostolorum; imo in ipsis Actibus apostolorum discrepat stylus prioris partis, ab eo posterioris. Nec eruditi in judicanda styli conformitate vel dissonantia conveniunt, quod etiam in praesenti exemplo videre est. Dum enim Eusebius dictionem epistolae ad Hebraeos proxime ad stylum Clementis Romani accedere autumat: monet Hieronymus, eam cum Lucae ratione scribendi convenire. Ceterum si Paulus materiam epistolae alicui familiarium suorum elaborandam commisit, etiam species difficultatis cessat. Sed et in isto casu fatendum est, amanuensem tam dextere ideas et phrases Pauli imitatum fuisse, ut non pauca praeberet in iis argumenta pro auctore Paulo. Complura quippe videas hic legi cogitata, quae in reliquis Pauli literis, aliquando simillima phrasi exprimuntur (cf. e. g. 10, 1. cum Coloss. 2, 17.) ubi umbra futurorum dicuntur instituta veteris foederis. Tum notio fidei, qualis exponitur praesertim c. 11. similiter adest in epistola ad Romanos c. 4. et ad Galatas c. 3. Eius necessitas probatur verbis: „Justus autem ex fide vivit“ tam hic, quam ad Romanos 1, 17. et ad Galatas 3, 4. Oppositio parvulorum vel infantum ad perfectos, vel adultos; item lactis ad solidum cibum, vel escam legitur 5, 13. 14. et I. ad Corinthios 2, 6. 3, 1. 2. Finis denique epistolae a cap. 13, v. 18.

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 225 von 290

adeo Paulum repraesentat, ut qui hactenus de eo non cogitasset, auditis his necessario illum loqui censeret. Itaque non tantum nihil adparet e notis internis, quod vel auctoritatem canonicam, vel auctorem Paulum excluderet: sed potius notae internae aptissima pro Paulo auctore et quod consequens est auctoritate divina huius insignis libri suppeditant argumenta.

§. 93.

Ad quos data est epistola ad Hebraeos?

Quoniam s. Paulus in exordio huius epistolae non designat, quibusnam eam destinaverit, nec per decursum primi lectores ullibi memorentur: vix restat aliud, quam ad traditionem confugere, in ipsa inscriptione conspicuam, eamque notis internis confirmare. Inscriptio vero habet: *πρὸς τοὺς ἑβραίους*, ad hebraeos, cui consonat prorsus universalis totius ecclesiae, veteris et recentioris, assertio, hanc epistolam ad hebraeos datam esse, idemque totus complexus a capite ad calcem luculentum reddit. Nam per extensum agitur de instituto mosaico, cum religione christiana comparato, frequentibus insertis exemplis ritibus et citationibus veteris testamenti, quae omnia hebraeos indicant lectores; jam tamen religionem christianam sequentes, ut clarum est e cap. 3. v. 1: „Unde fratres sancti, vocationis coelestis participes, considerate apostolum et pontificem confessionis nostrae JESUM;“ item v. 14. „Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiae eius usque ad finem firmum retineamus.“ Huc facit etiam 13, 7. „Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem.“ Certe enim intelliguntur praepositi christianorum.

Epistolam ergo ad hebraeo-christianos datam esse sat superque constat. Sed intricatior est quaestio, cuius regionis, vel ecclesiae hebraeo-christiani eam immediate perceperint? Solum quippe nomen rem non decidit. In Actibus apostolorum quidem 6, 1. dicitur: crescente numero discipulorum factum esse murmur graecorum adversus hebraeos," ubi, cum hoc tempore religio christiana extra fines Palaestinae praedicata nondum fuerit: per graecos judaei intelliguntur, qui ex variis provinciis jam dudum antea Hierosolymis consederunt, et graecam loquebantur vernaculam: per hebraeos autem nati Palaestinenses, lingva recentiori hebraica, seu aramaica utentes. Sed in epistola 2-a ad Corinthios 11, 22. idem nomen extra Palaestinam natis adplicatur a Paulo dicente: „Hebraei sunt? et ego; Israelitae sunt? et ego." Fuit itaque nomen gentile, de omnibus natione judaeis adhibitum, ubicunque degerent; et ita etiam a patribus in genere accipitur. Eo non obstante hic loci nostrae epistolae inscriptio a plerisque de hebraeis palaestinensibus intellecta fuit, uti Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto, et aliis lingvam hebraeam ceu natalem huius libri defendentibus, quos deinde multi recentiorum sequuntur.

Nec desunt alia pro sententia hac argumenta. Sane mirandum esset, si apostolus civibus palaestinensibus nihil contulisset literarum ad profectum illorum promovendum. Nam palam professus est debitorem se omnium esse ep. ad Rom. 1, 14. in specie vero de suis popularibus dicit: „Tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo, optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem." 9, 2. 3. ibid. Qui igitur tanto flagrabat desiderio omnes cum Christo uniendi; quomodo non egisse censendus sit, ut scripto salutem suorum procuraret, si

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 227 von 290

jam incognitis hanc sollicitudinem praestitit? Solebat Paulus ubique judaeos exquirere, et ad religionem invitare, etiam Romam adpellens mox judaeos ad se vocavit, se suamque causam commendaturus: quanto magis igitur credentes cordi habuit, et maxime in Palaestina ita odiis contumacium expositos, prout ipsum persequebantur. Verbum igitur consolationis ab eo exspectandum erat ad illos dirigendum, qui continuis tribulationibus fatigati periculo defectionis paterent. Sane si corporalis eorum inopia tantopere sollicitabat animum Pauli, ut ei sublevandae in longinquis regionibus eleemosynam efflagitaret; multo magis periclitanti fidei eorum provide succurrisse censendus est, dum adesset ratio et opportunitas.

Idem probant notae internae. Nam:

1) Nullum praesto est indicium, Paulum ecclesiam mixtam prae oculis habere, seu fideles tam e judaeis, quam gentilibus collectos. Jam vero coetus christianorum pure judaeochristianus nusquam nisi in Palaestina quaeri potest. Alibi, licet abessent peculiaria mixti coetus indicia, suapte intelligitur talis ex adjunctorum natura.

2) Calamitates, quas Paulus c. 10. v. 32—34. describit, hac temporis periodo, qua epistola scripta est, de Judaea optime intelliguntur. Extra illam enim, etsi fere ubique quaedam adversa pati deberent novellae fidei asseclae: persecutio tamen in personas et fortunas christianorum non fuit decreta ante Neronem. E contra Palaestinensibus, et in specie hierosolymitanis optime convenit illud monitum, ut meminerint praepositorum suorum, eorumque gloriosum exitum et fidei constantiam pro exemplo sumant. Ibi enim illustri martyrio praeluxerunt Stephanus et Jacobus, Petrus autem squallore carceris vexatus fuit.

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 228 von 290

3) Consolatio illa de adventu Domini proxime instante, et afflictioni finem impositurо pro christianis exteris parum habet roboris, at multum pro palaestinensibus. Fracta quippe, per eversionem Hierosolymorum, potentia synedrii, et gente ipsa dispersa, jam non poterant magistratus judaici premere christianos.

Argumenta haec simul sumta testimonio traditionis ulteriorem vim addunt, quamquam per se rem non evincant. Scripsit igitur s. Paulus ad christianos palaestinenses, proxime utique ad hierosolymitanos; nam illis pleraque modo speciali conveniunt. Accedit, Paulum suum promittere adventum, quod de tota provincia, aut pluribus proviciis, nequaquam dixerit. Ibidem fuit altare, cuius mentionem injicit 13, 10. et sacrificia mosaica ibi fiebant, quorum splendidus apparatus cum amplo sacerdotio praestare videbatur dignitati religionis christianae, huiusmodi sensualibus cerimoniis tum temporis destitutae.

§. 94.

Qua lingva scripserit Paulus epistolam ad Hebraeos?

A Paulo Hebraeos per literas alloquente merito exspectaveris, ut hebraicam adhibeat lingvam, utpote qui Hierosolymis ad Hebraeos pariter hebraica, tamquam ad scopum suum maxime idonea utebatur, quamquam tunc non soli Palaestinenses essent congregati, sed et aliarum provinciarum hebraei graecam lingvam loquentes (Act. 21, 40.), quod ita consulto factum est, ut scriptura observaret: auditores percepto suae venerabilis lingvae sono magis praestitisse silentium. Si igitur in hac epistola favori eorum se prudenter insinuare voluit, ut illis amplius prodesset, si hoc fine nomen et apostolatum suum silentio pressit, et ad calcem etiam rogavit fratres, ut boni consulerent hanc suam allocutionem (13, 22.)

praesumtio exsurgit natalem epistolae lingvam fuisse hebraicam. Momentum illi praesumtioni accedit e diversitate styli a reliquis Apostoli literis, quae teste Origene cuivis patula fit, quicunque stylum dijudicandi peritia pollet. Quid plura? Graves antiquae ecclesiae scriptores pro lingva stant hebraica. Ita Clemens Alex. epistolam ad Hebraeos Pauli quidem esse affirmat, sed hebraico sermone, utpote ad Hebraeos, primum scriptam fuisse. Lucam vero eandem graeco sermone studiose interpretatum, graecis hominibus edidisse. Quare in ea epistola, et in Act. ap. eundem dictionis colorem reperiri *). Eusebius ipse **) scribit: „cum ad Hebraeos patrio sermone scripsisset Paulus: alii Lucam evangelistam, alii ... Clementem epistolam illam interpretatum esse ferunt. Quod quidem verius videtur, cum praesertim et Clementis, et illa ad Hebraeos epistola eundem habeat stylum, nec utriusque scripti sententiae valde inter se discrepent.“ Sequitur Hieronymus, qui in l. De vir. illust. agens de Paulo ait „Scripsit ut Hebraeus Hebraeis hebraice, ut ea, quae eloquenter scripta fuerant in hebraeo, eloquentius verterentur in graecum, et hanc esse causam, quod a ceteris Pauli epistolis discrepare videatur.“ Eadem est sententia Theodoreti, Oecumenii ac multorum, qui post eos in hanc epistolam commentarios ediderunt. Pace tamen omnium nobis haec sententia minime arridet, quia non videtur traditionis historicae, sed potius conjecturae naturam praeseferre. In Matthaeo testes lingvae hebraeae audiendos esse defendimus, quia nulla necessitate exegetica, vel etiam analogia inducti, de lingva hebraea testantur: at hic tres illi antiquissimi, quos reliqui sequuntur, sc. Clemens Alex. Eusebius et

*) Totidem sunt verba Eusebii hist. eccl. l. 6. c. 14.

**) l. 3. c. 38.

Hieronymus e praesumtione potius, quam traditione Majorum procedunt: illa scilicet praesumtione in facto Pauli hierosolymitano, et styli diversitate fundata, quam ante exposuimus. Hoc sane monstrant verba illa in testimonio Clementis: hebraico sermone utpote ad hebraeos. Eusebius autem ab exemplo Matthaei concluserit, ad similem in similibus adjunctis lingvam. Hieronymus denique, aliorum recitat sententiam, sc. Clementis et Eusebii, ut e verbis postremis patet, ubi subaudi: dicunt, vel putant. Cum styli diversitatem sic facile solvi censerent, et ad Hebraeos hebraice scribere, opportunissimum viderent, nata est opinio de lingva hebraea. At hanc refellunt argumenta sequentia:

1) Nullus antiquorum prodidit memoriae se exemplar hebraicum vidisse, vel ab alio quocunque visum fuisse. Fertur quidem usque hodie exemplar syriacum, quod nonnulli authenticum Pauli putabant, qui scilicet non antiqua scripserit hebraica, sed quae tunc usu vigebat in Palaestina, syriaca: sed illius textus e graeco est translatus, uti conferenti patet.

2) Tota dictio epistolae graecum stylum, graecam eloquentiam sapit in verbis, et periodis, minime hebraicam; tantaque puritate nitet, qualis a versione nequit exspectari, nisi sit liberrima.

3) Desunt hebraismi, qui tamen si in graecis Pauli scriptis occurrunt, multo magis eos exspectes, in libro e lingva hebraica in graecam translato.

4) Citationes vet. foederis fiunt perpetuo juxta versionem 70 interpretum, quod ab auctore hebraice scribente secus erat exspectandum.

Proinde cum testimonia veterum pro lingva hebraica sint infirma, argumenta vero pro lingva graeca, ut nobis quidem videtur, firmissima: non dubitamus hanc posterio-

rem, ceu originis lingvam accipere. Fuit autem lingva graeca palaestinensibus plerisque apprime nota, sicut Romanis, ad quos pariter graecas dedit literas apostolus. Ceterum cum constet, a Paulo in scribendis epistolis operam sociorum fuisse adhibitam, neque determinari possit, quousque haec se extenderit: imo verisimile sit, nunc majorem, nunc minorem partem obtigisse amanuensi, nihil ab auctoritate Pauli, vel epistolae ad Hebraeos alienum statuat, qui contendere voluerit: alicui sociorum v. g. Clementi a Paulo liberiorem in hac epistola exaranda permissam fuisse manum, indeque servatis ideis et pluribus notis Pauli, derivandam ex parte eam, quae relate ad alias epistolas Pauli observatur, differentiam.

§. 95.

Locus et tempus, quo ep. ad Hebraeos edita fuit.

Ad determinandum utrumque conducunt hae duae sententiae: „Nam et vinculis meis compassi estis“ (10, 34.) item: „Salutant vos de Italia fratres“ (13, 24.) Prior captivitatem indicat, sed quae jam soluta est, vel proxime solvenda. Posterior autem regionem in qua scripsit, et vincula portavit. Plures quidem, uti Chrysostomus, Theodoretus, et alii Romae scriptam esse dicunt, et id utique tenendum, si scripsit in vinculis; at secus mirum, urbem specialibus indiciis non fuisse designatam, vel aperte positam. Italia certe natales dedit epistolae, nam hebraei salutantur nomine fratrum de Italia, nisi intelligantur comites Pauli ex Italia oriundi. Communior tamen eruditorum opinio in Italiam literas refert, eoque tempore exaratas vult, quando captivitate solutus Palaestinam revisere parabat. Promittit enim suum adventum, dicens de Timotheo: „cum quo si celerius venerit, videbo vos.“ Hoc porro evenit,

exacto captivitatis primae Romanae biennio, hoc est a. aerae vulgaris 55. Ultra excidium urbis, et templi rejici certe non potest, quia totum argumentum, de sacrificiis, ritibus, et sacerdotibus templi agit tanquam continuo vigentibus, ergo templi integritatem, et cultum adhuc persistere ponit.

§. 96.

Advertenda de epistola s. Pauli ad Hebraeos.

Epistola ista hodie ultimum inter Paulinas locum tenet, at olim in multis manuscriptis post II-am ad Thessalonicenses locata fuit, cuius teste Theodoreto illa fuit ratio, quod ecclesia illam a canonicis Pauli scriptis non distinxerit, primumque, ut idem vult, Ariani illam post ep. ad Phil. rejecerint, tamquam dubiae auctoritatis. Imo ut vidimus in descriptione codicis Vaticani, aliquando mox epistolae ad Galatas fuit subjuncta, quod pariter eius auctoritatem canonicam cum ceteris aequalem indicat. —

Loca fideli memoria digna sunt:

„Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae, ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum, et intentionum cordis.“ — 4, 12.

„Quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium: sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.“ 9, 27. 28.

„Nolite amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.“ 10, 35. 36.

„Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.“ 13, 14. —.

Articulus XX.

De epistola Jacobi.

§. 97.

De epistolis catholicis in genere.

Septem libelli canonis divini epistolarum catholicarum nomine veniunt, quae scilicet demtis duabus, non ad certas personas, vel singulares ecclesias diriguntur, sed sunt magis universales, hoc est catholicae, in latum plurium provinciarum cyclum dimissae. S. Paulus quidem pariter scripsit ecclesiis Galatiae, et ad Hebraeos epistolas, quae nomine catholicarum censeri possent: sed illius literae separatum corpus constituunt a literis reliquorum apostolorum; idcirco ad catholicas translatae non sunt; quae epistolas Jacobi, Petri, Joannis et Judae complectuntur. Joannis quoque 2-a et 3-a ex catholicarum numero spectata destinatione sejungendae essent, utpote ad privatas personas datae: verum partim ideo, quod olim instar appendicis cum prima Joannis unum corpus constituere viderentur; partim quod ceu epistolae ad aliam classem minus quadrarent: catholicarum collectioni sunt insertae. Collectio ista morale potissimum continet argumentum; nam universi 7 libelli de studio virtutum et fuga vitiorum praecipiunt, ideoque cum fructu etiam ab imperitioribus leguntur: subinde tamen dogmatica vel prophetica proponunt, quorum in theologia magnus est usus. Porro major horum libellorum pars jam olim quibusdam dubiae videbatur originis;

nempe praeter 1-am Petri, et 1-am Joannis reliquae omnes epistolae catholicae difficiliorem expertae sunt a nonnullis receptionem; unde in sic dictorum deutero-canonicorum librorum numero ponuntur. Quod nos movet, ut de singulis argumenta genuinae originis distincte proponamus; non quasi in christianis ecclesiis hodiedum auctoritas earum dubia esset, habentur enim tam a catholicis, quam acatholicis canonicae, praeter neologos in omnia temere grassantes: verum ut appareat, veterum quoque dubia fuisse infirma. Ceterum saepe apud scriptores etiam canonicae vocantur, quae nunc communiter catholicae audiunt.

§. 98.

Auctor epistolae, quae dicitur Jacobi.

Jacobum apostolum esse acuctorem epistolae, quae hodie in canone primum tenet inter catholicas locum, argumentis evincitur indubitatis. Nam

1-o. Traditio testatur, Jacobum illum, qui in fronte hujus epistolae se vocat Dei et Domini nostri Jesu Christi servum, fuisse fratrem Domini, atqui alter hujus nominis frater Domini non datur nisi Jacobus minor apostolus: ergo auctor epistolae fuit apostolus.

Probamus majorem *a*) testimonio Eusebii, qui *) postquam enarrasset, Judaeos post Paulum, Romam adductum, spe sua frustratos in Jacobum fratrem Domini rabiem suam convertisse, relationi martyrii subjungit haec verba: „Haec sunt, quae de Jacobo memorantur, cui etiam adscribi solet epistola prima earum, quae catholicae dicuntur.“ Communi itaque opi-

*) Hist. eccl. l. 2. c. 23.

nione epistola nostra adscribi solebat Jacobo fratri Domini.

b) Idem perhibet Hieronymus*) dicens: Jacobus, qui appellatur frater Domini . . . unam tantum scripsit epistolam, quae de septem catholicis est."

Porro Jacobum fratrem Domini simul apostolum fuisse evidenter probat locus ep. ad Gal. 1, 19. ubi dicit s. Paulus: „Alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini" quae verba tam ob constructionem grammaticam, quam ob thema Pauli aliter intelligi nequeunt, nisi hoc sensu: ex apostolis unicum vidi Jacobum fratrem Domini. Paulus enim totus in eo demonstrando versatur: se nec occasionem habuisse cum apostolis longius conversandi ac institutionem ab eis percipiendi. Jacobum itaque ut apostolum significare debuit, secus post mentionem Petri, allata verba pro Pauli scopo nihil probarent.

Cum autem in ordine apostolorum duo occurrant, qui nomen Jacobi gerunt: dicendum jam, uter illorum sit frater Domini. Hoc ipsum vero clarum fit ex evangelio Joannis 19, 25. ubi inter mulieres cruci Christi adstantes legitur soror matris Domini, Maria Cleophae, quae juxta Marcum mater erat Jacobi minoris, 15, 40. Itaque Jacobus Cleopha et Maria parentibus genitus erat Christi consobrinus, et qua talis et usu loquendi hebraico recte vocatur frater Domini. Is vero alter esse nequit, nisi Jacobus Alphaei Matth. 10, 1. Luc. 6, 15. quoniam Alphaios terminatione graeca idem valet ac *Κλώπας* terminatione aramaica, ex חַלְפַּי Jacobus ergo minor, Alphaei filius, cognomento justus, auctor est epistolae nostrae, quem communis traditio**)

*) De viris ill. c. 2.

**) Vid. Euseb. Hist. eccl. l 2. c. 1. et 23.

primum fuisse episcopum hierosolymitanum refert; idque sacris literis egregie consonat. Nam Jacobus constanter Hierosolymis agit, etiam post occisum Jacobum filium Zebedaei, et post dispersionem reliquorum apostolorum, uti patet ex Act. apost. 15, 23. et 21, 18. De hoc Jacobo Hegesippus, qui proximus fuit temporibus apostolorum, l. 5. suorum commentariorum haec virtutum encomia scribit:*) Jacobus frater Domini jam inde a Christi temporibus ad nostram usque aetatem **Justus** cognominatus est. — Hic ab ipso matris utero sanctus fuit. Nec vinum unquam bibit, nec siceram, ab animantium carnibus penitus abstinuit. Comam nunquam totondit. Neque ungi, neque lavare balneo corpus unquam solitus. . . . In templum solus intrare, atque ibi genibus flexis pro peccatis populi supplex Deum orare consueverat, adeo, ut genua ipsius instar cameli occalluerint, dum assidue Deum venerans, et pro salute populi vota faciens humi sterneretur. Hic ergo ob singularem justitiam cognominatus est Justus.“ Tantus vir post mortem Festi procuratoris, antequam novus Praeses advenisset, instigante Anano pontifice lapidatus est, quod nollet populum a Jesu doctrina revocare, sed potius ei clarissimum perhiberet testimonium. Necem illius prudentissimi judaeorum, causam fuisse existimaverunt secutae mox obsidionis Hierosolymorum, ipse quoque Josephus Flavius narrat, propterea Ananum tam apud Agrippam, quam apud novum Procuratorem Albinum adventantem a judaeis accusatum fuisse, eo cum effectu, ut Albinus quidem literas furoris plenas cum comminatione poenae ad illum daret; Agrippa vero eundem pontificatu privaret.

*) Ap. Eus. l. 2. c. 23.

Tali charactere praedito auctori notae internae egregie conveniunt, authentiamque confirmant. Tamquam enim seipsum describeret auctor, ita perfectam commendat virtutem et ascesim. „Quicunque, inquit, totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus“ 2, 10. Quod utique verum est de maligno legis contemtu, aversionem ab ipso legislatore significante, sed et ostendit, quantopere auctor, perfectae justitiae studiosissimus ex abundantia cordis loquatur.*) Pariter

---

*) De loco hoc s. Jacobi vide epistolam 167-am s. Augustini ad s. Hieronymum datam. Post magnum illud de epistola ad Galatas certamen vincula amicitiae inter utrumque venerabilem Doctorem denuo constricta sunt, unde Augustini infatigabile ingenium rursum ad eruditionem beati senis confugit, eumque talibus verbis ad explanationem sollicitat, quae digna sunt, ut in exemplum tam studii sacrae scripturae, quam insignis modestiae Augustini hic adscribantur:

„Quaeso, inquit, et per Deum obsecro, ut exponas mihi, quod multis existimo profuturum; aut si jam vel abs te, vel ab alio aliquo expositum habes, dirigas nobis, quomodo accipiendum sit, quod in epistola Jacobi apostoli scriptum est: „Quicumque enim totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.“ Quae res talis, ac tanta est, ut, quod hinc tibi non jam olim scripsi, multum me poeniteat. — Quomodo igitur intelligendum est, obsecro te: „Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus?“ Itane, qui furtum fecerit, imo vero, qui dixerit diviti „Sede hic“ pauperi autem: „Tu sta illic“ et homicidii, et adulterii, et sacrilegii reus est? Quodsi non est, quomodo, qui in uno offendat, factus est omnium reus?“

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 238 von 290

studium orationis trinis vicibus in brevi hac epistola inculcatum virum tam assiduae orationis indicat, qualem in Jacobo Hegesippus descripsit. Sed et refraenationem lingvae, quam, inquit nullus hominum domare potest, graviter commendando se hac etiam in parte exercitatum declarat, idque Justo κατ' ἐξοχήν appellato optime convenit. Nec praetermittenda, quin pro authentiae signo memoretur, destinatio epistolae, utpote duodecim tribubus, quae sunt in dispersione, inscriptae. Cum enim ponat judaeo-christianos omnes, per provincias dispersos: hoc ipso auctor talem sibi ad illos relationem et

---

Ad finem autem post longiorem dissertationem haec subjicit.

„Multa dixi, quibus tibi taedium fortassis inferrem, qui haec, quae tamen approbas, non exspectas discere, quod ea docere consvevisti. Siquid autem est in eis, quantum ad rem ipsam pertinet (nam quali eloquio explicata sint, non nimis curo) siquid ergo in eis est, quod eruditionem offendat tuam, quaeso, ut rescribendo admoneas, et me corrigere non graveris. Infelix est enim, qui non tantos, et tam sanctos tuorum studiorum labores et digne honorat, et de his Domino Deo nostro, cuius munere talis es, gratias agit. Unde cum libentius debeam a quolibet discere, quod inutiliter ignoro, quam promtius quoslibet docere, quod scio: quanto justius abs te hoc caritatis debitum flagito, cujus doctrina in nomine et adjutorio Domini tantum in latina lingva ecclesiasticae literae adjutae sunt, quantum nunquam antea potuerunt. Maxime tamen istam sententiam: „Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus“ si quo alio modo exponi melius posse novit tua dilectio, per Dominum obsecro, ut id nobiscum communicare digneris.“

auctoritatem tribuit, quae apud universos judaeo-christianos rata, grataque fuit; atqui tali gaudebat Jacobus, ceu episcopus hierosolymitanus, et legalium observator; quem et ipse Paulus inter columnas numerat, acta vero concilii hierosolymitani sententiam cum auctoritate ferentem sistunt. Quid quod principes apostolorum Petrus et Paulus Jerosolymam discedentes vel illuc venientes Jacobo suam causam communicent? Petrus nempe ab angelo de carcere liberatus jubet rem nunciari Jacobo, [1]) Paulus autem e tertia missione reversus Jerosolymam, introibat ad Jacobum, omnesque collecti sunt seniores, quos cum salutasset, narrabat per singula, quae Deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius. [2]) Nullum itaque dubium, auctorem epistolae nostrae et apostolum, et episcopum hierosolymitanum fuisse.

§. 99.

Argumentum.

In exordio mox, facta salutatione, utilitatem tentationum probat, perseverantiam commendans, quoniam qui probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se. Sumit autem tentationem duplici sensu, tam de adversis, quam de seductione ad malum morale. Praecipit porro fidelibus, ut sint factores verbi, non auditores tantum, fidemque operibus comprobent, qualia sunt: continentia ab ira et immunditia, refraenatio lingvae, cujus abusus late perstringit, benignitas in proximos, modestia, patientia, et oratio. Haec omnia propositis majorum exemplis firmat, ut Abrahae,

1) Act. Ap. 12, 17.
2) Act Ap. 21, 18. 19.

prophetarum, Jobi, Eliae. Isto brevi summario possumus complecti totam epistolae materiam, quae in 5 capita divisa moribus formandis intendit sine quadam regulari monitorum dispositione; imo ad easdem ideas aliquoties revertitur, et quasi abrupte finit, cum nulla occurrat in fine salutatio, vel forma conclusionis. Praeterea tam generali concepta est tenore, ut nec specialis occasio ex ipsa eluceat, nec locus vel annus, quo edita fuit. At argumentum ipsum, utcunque indigestum, spiritu vere apostolico imbutum est. Praecipue vero excerpimus ad usum theologicum sequentia, praeter alibi notata:

1) „Siquis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo . . . postulet autem in fide nihil haesitans.“ 1, 5. 6.

2) „Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? . . . Tu credis, quoniam unus est Deus. Bene facis, et daemones credunt, et contremiscunt. Vis autem scire o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est?“ 2, 14. 19. 20.

3) „Quodsi zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari . . . . non est enim ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia, et omne opus pravum. Quae autem de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, svadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, et fructibus bonis.“ 3, 14—17.

§. 100.

Auctoritas canonica epistolae Jacobi.

Quamquam epistola nostra tam argumenti praestantia, quam auctoris dignitate insigniter excellat: ideoque

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 241 von 290

in primis latissime diffusis lectoribus certe ut canonica fuerit suscepta: cum tempore tamen dubia causavit, et teste Eusebio paucorum scriptorum usu meruit laudari. Variae autem possunt huius rei causae statui. 1-o. Ipsa generalis destinatio encyclica; ob hanc nempe nulla ecclesia nominatim ceu testis originis poterat provocari, siquidem incertum perfecit orbem. Quod aliter utique fuit cum epistolis Pauli, vel etiam prima Petri aut Joannis. Petrus enim lectorum saltem provincias memorat, Joannes autem in extrema senecta scribens Ephesum habuit testem, haud destructam, prout Jerosolymae accidit paullo post mortem Jacobi.

2-a causa dubitandi fuerat inscriptio, in qua auctor se vocat solum „Dei et Domini nostri J. C. servum" absque apostolatus mentione. Hinc enim haud elucebat, num sit apostolis adnumerandus, praesertim quum in novo foedere plures occurrant Jacobi. Ceterum, ubi traditio de origine apostolica vigebat: ibi nec erant agitata dubia de epistolae auctoritate.

3-o. Difficultatem creabat argumenti cum epistola Pauli ad Romanos apparens collisio; quoniam auctor justificationem negat e sola fide obtineri, suumque assertum iisdem probat exemplis, quibus Paulus contrarium videbatur ostendisse.

Ex his itaque facile explicabis, cur aliquando epistola negligeretur. Receptionem tamen inde ab aetate apostolica invenisse in permultis ecclesiis, probant sequentia: *a*) Clemens Romanus, Jacobo synchronus, jam utitur effatis illius, quamquam more patrum apostolicorum nec ipse expressam faciat eiusdem mentionem *). Similes allusiones habent s. Irenaeus, Tertullianus, Pastor

*) Cf. Jac. 2, 23. cum Clem. I. ad Cor. 10. item 3, 13. cum ejusd. c. 38.; denique 5, 20. cum Clem. c. 49.

Hermae, totidem sensus romani testes. Ipsam ecclesiam Romanam semper eiusdem epistolae auctoritatem agnovisse, locuples testis est versio latina, in qua nunquam defuit. *b*) Idem valet de tota ecclesia syriaca, cuius tam versiones, quam scriptores hoc libro velut canonico constanter utuntur. Est vero testimonium utriusque ecclesiae, Romanae scilicet et Syriacae hac in causa plene evincens, quin fragmentum Muratorii, in quo abest, illud enervare valeat. Huius quippe auctoritas nequaquam publica est ita, sicut versionis in usu ecclesiastico receptae. *c*) Sed et in ecclesia graeca pro canonica valuisse probatur ex Clemente Alexandrino, Origene, Dionysio, s. Athanasio etc. qui plura ex hoc libello decerpunt, tamquam canonico. Accedit testimonium Eusebii, qui scribit quidem, illi contradici, simul tamen ipsam in plurimis ecclesiis legi fatetur, quae praxis pro natura sua non poterat temere invalescere.

§. 101.

Alia adjuncta.

In argumento quidem nullum est loci indicium, in quo epistola Jacobi edita fuerit: sed cum apostolus constanter Hierosolymis habitaverit, vix dubium, sanctam civitatem esse natalem locum libri nostri. Ibi Jacobus de moribus, ac tota cogitandi ratione judaeo-christianorum per provincias dispersorum facile per continuum ad festa commeatum poterat informari, quo ad indigentias illorum institutionem suam accommodaret. Quo autem proxime et immediate directa fuerit epistola, non constat. Nonnulli quidem eruditi ad certam ecclesiam unice destinatam volebant, nec tamen in illa determinanda conveniunt; praeterea verba Jacobi plana nil cogit restringere.

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 243 von 290

Pari fere laborat incertitudine assignatio temporis, quo scripta fuerit; nisi consolatio a proximo judicis adventu petita pro signo sumatur. Per hunc enim adventum imminens intelligi supplicium gentis, probari vix debet. Sed et hoc in spiritu prophetico praedictum sit, oportet; quoniam vivo Jacobo nondum erupit incendium belli civilis. Contigit quippe illud anno aerae vulgaris 66; cum Jacobus post mortem Festi procuratoris, ante adventum Albini sit occisus, anno scilicet 62. Hoc unum itaque dici potest, epistolam probabiliter postremis vitae annis a Jacobo editam fuisse.

Lutherus eam, ceu stramineam vilipendit; hodie tamen a protestantibus canonica agnoscitur, praeter illos, qui divina aut ecclesiastica quaecunque explodere gloriantur.

Articulus XXI.

De epistola I. Petri apostoli.

§. 102.

S. Petri acta et scripta.

Simon Petrus Jonae, sive Joannis filius natus est Bethsaidae, oppido Galilaeae lacui Gennezareth adjacente, ubi cum fratre Andrea piscationem exercuit. Professsio ista in se non quidem abjecta, vel nullius reditus, Petro tamen magis ad sustentationem, quam quaestum servisse videtur. Paupere igitur fortuna usus est, at non inopi; nam et in Capharnaum habuit domum, a socru ad se respicientem, quae idcirco etiam domus ipsius vocatur; ut adeo verba eius „Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis," de se quoque sumta sensu non

careant. Jesum prima vice ad Jordanem cognovit, quo probabiliter fama Joannis baptistae ipsum pellexit. Ibi nempe frater eius Andreas, discipulus Joannis, dicebat ad ipsum: Invenimus Messiam, et adduxit eum ad Jesum. Jesus autem nomen Cephae, seu Petri ei imposuit, et abs dubio discipulorum numero adjunxit. Narratur enim in evangelio: Andream cum alio discipulo jam fuisse sectatorem Jesu, cum ab eo Petrus adduceretur. Nihilominus lateri Jesu constanter non adhaesit, sed ad piscationem rediit, donec rursum vocaretur, quando post praeclaram indignitatis agnitionem ad capiendos homines invitatus est; cuius destinationis ne desperaret effectum: insigni miraculo edoctus fuit: verbo Dei parere omnia. Vocatione igitur primus non fuit: at loquendi, agendique promtitudine se prae ceteris distinxit, quod indolem vivacem, rebusque gerendis natam comprobat. Si jam omnia, quae in bibliis de Petro occurrunt, expendantur: habetur imago viri Christum vehementer amantis, eiusque institutum zelose exequentis. Quid enim, nisi amor impulit Petrum, sive dum aliis deficientibus ipse cum sociis maneret, dicens: Domine quo ibimus, verba vitae aeternae habes; sive dum affirmaret: Domine paratus sum tecum et in carcerem, et in mortem ire, Christumque captum ad atrium summi sequeretur Pontificis; sive dum post resurrectionem curreret ad monumentum, aut ex lacu Tiberiadis morae impatiens praecipitaret se in mare et ad littus excederet. Ipsa quaestio Christi, hac occasione Petro posita: Simon Joannis, diligis me plus his? eximium Petri amorem indicat. Fervidam igitur indolem, sed amore Christi, promtaque obedientia directam nactus, nec suae fragilitatis immemor, prae ceteris dignus et aptus censeri poterat, qui Christi personam in regenda ecclesia sustineret, primatumque gereret, ad quem in schola Christi specialiter informatus fuisse vi-

detur. Illo igitur in via ad Caesaream Philippi, et ad mare Galilaeae ornatus, post Christi in coelos ascensionem conventum apostolorum et fidelium ad electionem novi apostoli provocat, mox in festo Pentecostes nomine omnium vocem levat ad retundendam iniquam suspicionem, Christique Messianam et divinam dignitatem fortiter praedicandam, in qua oratione, non minus quam in subsecuta mox a claudo sanato sui defensione, mirandum quali cum libertate et praesumta securitate crimen effusi innocentis sangvinis objiciat tam principibus, quam populo, tandemque declaret: obedire oportere magis Deo, quam hominibus. Sed et in punito Anania cum Sapphira uxore supremae auctoritatis documentum praebuit, quia si pro capite coetus habitus non fuisset, collatorum cura ad eum speciali ratione non pertinuisset. Plane vero principem se gerit totius ecclesiae, dum post persecutionem tempore Stephani excitatam, dispersos fideles et ordine visitat, et de loco in locum factas nefors jacturas reparat, instar providi patrisfamilias, qui post effusam grandinem agrum inspicit, et quid detrimenti tulerit, diligenter explorat. Ipsa hac agri dominici inspectione occupatus, novam accipit missionem ad alteram familiae divinae partem, scilicet gentilem, in suum ovile recipiendam, ut qui inter judaeos primus a delapso Spiritu sancto ecclesiam congregasset, rete suum etiam in altum mare extendens, concluderet piscium speciem, quae tota nocte praecedentis idololatriae capta non fuerat. Denique vincula Jerosolymis perpessus, et denuo per miraculum in eo confirmatus, quod vere causam Dei sustineat, etiamsi pro tempore sinistre videatur cedere: non multo post concilio hierosolymitano praefuit, primas per omnia partes agens, et zelatores legis mosaicae, qui probabilissime ad ipsum ceu ecclesiae caput provocabant, suo, totiusque coetus voto ad regulam veritatis reducens. Quid,

quod scripta quoque eius potestatem haud vulgarem auctoris praeseferant, utpote utraque ad ecclesias plurium provinciarum tam ex judaeis, quam e gentibus collectas directa? In his porro praeter alias ecclesiae classes, episcopos quoque instruit, commemorans principem pastorum, qui pro laboribus immarcescibilem gloriae coronam esset redditurus; idea sane Petro, principis pastorum vicario, optime conveniens! Vitae exitus in scriptura quidem praedictus continetur, sed implementum non exponitur; neque tamen dubio locus est, traditionem historicam, prophetiae consentaneam, certissimo niti fundamento. Illa autem referente s. Petrus post gestum 25 annis episcopatum romanum sub Nerone eodem die et anno, quo Paulus, supplicio crucis martyrii palmam adeptus est. Provinciae, ad quas lumen evangelii propagavit, eaedem certe sunt, quas ex Actibus et epistolis ejusdem noscimus, addita Italia, huiusque metropoli Roma. Quaenam autem praeter illas fuerint a Petro lustratae, manet incertum. Illud constat: super hanc Petram aedificatam esse ecclesiam, in quam 18 saeculorum lapsu jam creberrime descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et irruerunt in illam et non cecidit; fundata enim est supra Petram. Duas reliquit epistolas, quarum prima omni tempore unanimi consensu eidem tribuebatur, ut non sit opus authentiam eius vindicare. Recentissimae enim vellicationes quorumdam neologorum, in tanta claritate historiae, merito contemnuntur.

§. 103.

Argumentum epistolae I-ae.

Principales ideae, quas Petrus in hoc libello pertractat, sunt: aestimatio vocationis ad fidem et aeternam

gloriam, cui conformiter sit vivendum, in ipsis tribulationibus testando mutuam sine dolo et invidia caritatem, item abstinendo a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam. Deinde hortatur ad obedientiam erga superiores, et tolerantiam malorum, exemplo Christi, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste. Mulieres vult subditas esse viris suis, proposito sanctarum mulierum in specie Sarae exemplo, omnesque fideles paratos semper ad satisfactionem pro sua spe, et cum modestia et timore conscientiam habentes bonam, ut confundantur, qui calumniantur ipsorum bonam in Christo conversationem. Plurimum autem immoratur laudandae in adversis constantiae, provocans ad Christi passionem. Denique pastores monet, ut forma sint gregum suorum; reliquos autem omnes, ut humilitatis ducantur sensu, et contra diaboli insidias vigilent. Facta autem salutatione concludit.

Epistola ornata est sententiis, et doctrinis, quae saepe allegantur, uti sunt: „Succincti lumbos mentis vestrae, sobrii perfecte sperate in eam, quae offertur vobis, gratiam, in revelationem Jesu Christi . . . scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redemti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sangvine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati“ 1, 13. 18. 19.

„Vos genus electum, regale sacerdotium, et gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.“ 2, 9. 10.

„Estote prudentes, et vigilate in orationibus; ante omnia autem mutuam in vobismetipsis caritatem conti-

nuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum.“ 4, 7. 8.

„Seniores, qui in vobis sunt, obsecro . . . pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo, et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam.“ 5, 1—4.

§. 104.

Primi lectores, locus et tempus exaratae epistolae.

Quibusnam suas literas destinaverit apostolus, ipse exponit in fronte earum, his verbis: „electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae, et Bithyniae.“ Scripsit itaque harum regionum christianis, quos electos vocat, et Dominum Christum sanctificare jubet in cordibus suis etc. Quum autem ecclesiae harum provinciarum nuspiam coaluerint vel e solis judaeis, vel e solis ethnicis, sed judaeo-christiani cum ethnico-christianis ubique permixti fuerint: quumque epistolae argumentum non unam ecclesiae partem, sed utramque respiciat: frustra quidam statuere amabant, Petrum vel ad solos judaeo-christianos, vel ad ethnico-christianos, aut proselytos has literas dedisse. Certe aliqua non quadrant prioribus, uti 2, 10. et 4, 3. alia vero solis posterioribus, uti compellatio advenarum dispersionis Ponti etc. Bene vero sensu spirituali dicuntur omnes christiani advenae et peregrini, utpote: qui juxta s. Paulum non habent hic manentem civitatem, sed futuram inquirunt, et apostolica aetate reipsa advenae erant novi regni moralis, dispersique inter gentes, ut instar salis condirent in-

colas terrae. Locus exaratae epistolae indicatur ad calcem eiusdem 5, 23. „Salutat vos ecclesia, quae est Babylone coelecta, et Marcus filius meus.“ An vero Babylon proprie sic dicta, vel alia hoc figurato nomine expressa intelligatur, variant sententiae. Nos ductu traditionis Romam intelligimus, cum Eusebio, Chrysostomo et Hieronymo; praesertim cum certum sit tam apud judaeos, quam apud christianos hunc usum loquendi viguisse. Non ergo Apocalypsis est fons huius usus loquendi, sed consvetudo jam ante illam recepta. Praeterea nullo testimonio firmari potest, Petrum in Babylone proprie sic dicta, quaecunque demum ponatur, evangelium praedicasse. — Annus quoque varius ab eruditis assignatur, aliis posteriorem, aliis vero priorem in urbe Roma commorationem dedisse natales epistolae statuentibus. Qui vero urbem a Roma diversam assumunt, passim tempus persecutioni Neronis proximum definiunt. Nos tamquam incertum in medio relinquimus.

Nota. Etiam haec epistola praebuit materiam amicae quaestioni, ab Evodio dignissimo episcopo ad s. Augustinum directae. Scripserat ille circa a. 415 his verbis: „Pridem quaestiones misi (tres) ad sanctitatem tuam... Quartam interrogo: Qui sunt illi spiritus, de quibus in epistola sua ponit Petrus testimonium de Domino dicens: Mortificatus carne, vivificatus spiritu, in quo et eis, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit — et cetera; hoc inserens, quod in inferno fuerunt, et descendens Christus omnibus evangelizavit... Quid ergo in hac re sanctitati tuae videatur, cupio nosse.“

Augustinus fatetur difficultatem quaestionis, imo ipsam multis argumentis etiam exaggerat. Postea vero locum in omnem partem versatum conatur quidem jam quaerendo, jam disserendo illustrare: nec tamen vel sibi ipsi plene acquiescit, sed in fine ponit: „Haec expositio verbo-

rum Petri, cui displicet, vel cui, etiamsi non displicet, non tamen sufficit: quaerat ea secundum inferos intelligere. Qui si valuerit illa, quibus me moveri supra commemoravi, ita solvere, ut eorum auferat dubitationem, impartiat et mihi.“ (Ep. 164. tom. 2. ed. Bened.)

Articulus XXII.

Epistola II. Petri.

§. 105.

Authentia eius.

Altera Petri epistola non tanto cum consensu fuit recepta, prouti prima, ab illis utique, qui longo temporis intervallo a primis lectoribus remoti evidentiam illam originis non habebant, quam isti; quare non obstante multorum traditione, dubiis locum dabant ex propria consideratione petitis. Observabant nempe, teste s. Hieronymo, styli cum priore dissonantiam; et quia ab antiquioribus raro allegabatur, apocrypha autem opera Petro supposita non deerant: factum, ut quadam diffidentia exciperent brevem hanc epistolam, donec traditione authenticae originis amplius dilatata suspicio cessaret. Et merito. Nam validis eius authentia nititur argumentis. Sane in notis internis praeter aliquam styli diversitatem nihil est, quod Petro non conveniret, nihil eius spiritui et dignitati contrarium, nihil ab aetate apostolica abhorrens. Auctor conceptis verbis nominat se „Simonem Petrum servum et apostolum Jesu Christi,“ qui in transfiguratione Domini praesens fuerit; et jam aliam epistolam scripserit lectoribus; dicit enim: „Hanc ecce vobis carissimi secundam scribo epistolam“ 3, 1. quae omnia Petrum indicant. Difficultas autem a stylo petita nunquam

est satis certa, tantique ponderis, ut aliis argumentis vim probandi adimeret. Testimonia autem authentiae, et quae cum eo nexa est, canonicae auctoritatis, etsi ob exiguam libelli molem haud plurima, possunt tamen valida produci. Usus ejus jam in Clemente Rom. cernitur *) Clemens vero Al. teste Eusebio, epistolam exposuit; Origenes et Didymus quamquam non ignorant diversa aliorum sensa, ipsi tamen Petrum diserte profitentur auctorem; Firmilianus episcopus in Cappadocia, s. Cypriano aequalis, epistolam nostram tamquam Petri opus, pro nota et canonica sumit. Similiter s. Ephraem syrus, crebro ipsam allegans. Ecclesiae Romanae sensus post Clementem Romanum elucet ex versione latina, quae ab origine hoc scriptum translatum habuit. Itaque receptio illius ad aetatem apostolicam assurgit, et jam saeculo 2-o et 3-o late propagata fuerat per Europam, Asiam et Africam, quare saeculo 4-o a conciliis in indicem librorum canonicorum, velut a patribus tradita refertur.

§. 106.

Argumentum.

In exordio, salutatis lectoribus, commendat profectum in virtutibus variis, ut introitum inveniant in aeternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi, addens, non se cessaturum ab illis monendis, imo operam daturum, ut post mortem quoque suam jamjam imminentem, recordentur suae doctrinae, quae non doctas fabulas imitatur, sed a Jesu Christo coelestis Patris dilecto filio, et coram se ceu tali declarato, a prophetis autem dudum annunciato, allata est, c. 1. Ab his caute discernendos monet pseudoprophetas et magistros mendaces, quo-

*) Ep. 1. ad Cor. c. 7. et 11.

rum tam doctrinam, quam vitam perversam acerrime perstringit, adjecta poenarum gravissimarum commination, c. 2. Postea fideles de adventu Domini certos reddit, etiamsi moras facere videatur, quia patienter agit, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti. Quare praedicta praesentis mundi conflagratione, novique in quo justitia habitat, exspectatione, vult, ut christiani Domini nostri longanimitate in salutem suam utantur, conformiter s. Pauli epistolis, quas dicit difficiles esse intellectu, et ab indoctis depravari. Pia demum adprecatione et doxologia concludit, c. 3.

Graves quaedam sententiae dignae sunt, quae pro usu specialiter notentur. Sic 1, 10. „Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.“

3, 7. 8. „Coeli, qui nunc sunt, et terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii et perditionis impiorum hominum. Unum vero hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum, sicut mille anni, et mille anni sicut unus dies.“

3, 11—13. „Cum igitur haec omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem coeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent? Novos vero coelos, et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat.“

§. 107.

Adjuncta temporis et loci.

Petrus haec scribens certus erat, de veloci depositione tabernaculi sui, prout et Dominus noster Jesus

Christus significavit ei. Verba haec non obscure imminentem significant mortem; unde sequitur, epistolam paullo ante mortem fuisse scriptam. Idem confirmant haereses impudenter grassantes, quarum priori tempore non legitur tanta temeritas. Ex tempore autem intelligitur locus quoque, cuius in epistola nullum est vestigium. Quum enim Petrus postremos vitae annos Romae exegerit, ibidem etiam scripsit. Porro, quae capite 2-o continentur, magnam praeferunt similitudinem cum epistola Judae, ut fere alter alterum videatur excerpsisse. An vero Judas Petrum, vel vice versa Petrus Judam, nil certi liquet.

Articulus XXIII.

De epistola I. Joannis.

§. 108.

Argumentum.

Liber, qui in hodierno canone locum vigesimum tertium occupat, non tam epistolae, quam tractatus cujusdam formam ostendit, destitutus tam inscriptione, quam subscriptione, aliisque personarum aut locorum adjunctis. Quae res illam excitavit probabilem opinionem, eundem cum evangelio simul editum, et instar praefationis, vel appendicis adnexum fuisse. Sane ad evangelicam historiam respicere videtur ipsum libri exordium, in quo talia se scribere et annunciare declarat Joannes, quae suis oculis viderit, perspexerit, et manibus contrectaverit. Haec autem ad praesentem epistolam nemo traxerit. Sunt enim hic exhortationes morales, inspersis aliquando sententiis dogmaticis, quin historia narretur. Duo autem sunt veluti cardines, circa quos totum epistolae argumentum

versatur, scilicet fides in Jesum Christum intemerata, et fratrum dilectio. Haec duo objecta per totum librum deducuntur, novis et novis cum expressionibus. Opportune autem admiscentur sententiae de Christi redemtione, eiusque effectibus, monita contra haereticos, quos antichristi nomine notat, excitationes ad preces, revocatio a mundanis concupiscentiis, laus operum et benignitatis Dei, mentio trium testium in coelo, et totidem in terra.

Si unquam impletum est, quod ex abundantia cordis os loquatur: haec certe epistola ex intimo Joannis corde emanavit, de quo scilicet constat, zelum pro puritate fidei catholicae, et dilectionem fraternam constanti ore et opere docuisse; imo et in discipulos transfudisse. Polycarpus enim Joannis apostoli discipulus, teste Irenaeo, quoties aliquid a spiritu doctrinae Chrtsti alienum audivisset, obstructis auribus de loco ipso aufugere solitus erat, ubi talia dicerentur, et exclamare: Bone Deus, in quae me tempora reservasti, ut et haec sustinere deberem!

Epistola ex dictis est dogmatico-moralis, maxime tamen ad virtutem fidei et caritatis inflammandam directa. Notamus in specie haec memorabilia:

„Siquis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.“ 2, 1. 2.

„Nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt . . . quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, et superbia vitae.“ 2, 15. 16.

„Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo.“ 3, 21. 22.

„Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.“ 5, 7.

§. 109.

Memorabilia alia.

S. Augustinus vult hanc epistolam scriptam esse ad Parthos, quo nomine alii intelligi volebant judaeo-christianos extra imperium romanum sub Parthis viventes. At in traditione veterum nulla huius rei mentio. Potius videre est, epistolam opponi erroribus gnosticorum, illi autem in imperio romano fuere domestici. Et si supradicta non fallunt, epistola ad eosdem lectores fuit directa, ad quos evangelium, cuius quasi introductio, vel praefatio dici potest. Sic autem tam de tempore, quam loco idem tenendum, quod valet de evangelio; alioquin omnia sunt incerta.

Magnas in Critica sacra excitavit disquisitiones versus 7. cap. 5. supra descriptus, quum in plurimis monumentis criticis absit. Etsi vero fatemur, tam extensam in codicibus, patribus, et versionibus omissionem, criticorum, qui superstitum testium auctoritatem sequuntur, judicia graviter contra illum inflectere: nemo tamen dixerit versiculum illum ab auctore scribi non potuisse, seu, nemo certitudine absoluta de authentia versus conclamatum esse demonstraverit. Sufficit autem probabiles rationes adferre contra interpolationem. Atqui

1. Nullus auctor nominari potest huius intrusionis, nec legitur unquam contra receptionem illius disputatum fuisse, quod tamen fieri solebat.

2. Si quatuor vel quinque saeculis non legebantur verba controversa, quomodo poterant postea in exemplaria codicum et versionum transire, orientalia et occi-

dentalia, catholicorum, et haereticorum, privata et publica?

3. Ex errore oculi propter similiter cadentia facilis fuit commatis omissio jam aetate apostolica, cumque initio pauca haberentur exemplaria, fons manavit in rivos plurimos, nominatim illos codices, quibus patres plerique usi sunt.

4. Doctrinae et phrasi Joannis egregie convenit sententia controversa; ille enim de verbo et de Spiritu sancto plurima disseruit in evangelio, ubi Christi verba etiam adduxit: Ego et pater unum sumus. Antithesis, quae occurrit inter testes coelestes et terrestres, in eadem epistola frequens est in aliis comparationibus e. g. 4, 2. 3. „Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est: et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est.“ Item: „Vos ex Deo estis: ipsi de mundo sunt.“ 4. 5. Occurrit etiam simile trinum 2, 16. „Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, et superbia vitae.“

5. Locus citatur a s. Cypriano saec. 3-o, qui antiquior est omnibus, qui nunc sunt, codicibus. *) Item ab episcopis Africae in fidei symbolo Hunnerico regi exhibito saec. 5.

6. Pariter a Vigilio Tapsensi eiusdem saeculi, et Fulgentio Ruspensi et Cassiodoro saec. 6-o. Latini hi patres comma certe habuerunt in exemplaribus versionis latinae, in qua jam ante s. Hieronymum legebatur, etsi quidam codices latini, prout et patres, uti Augustinus, Ambrosius, Leo, et Beda illum non noscant. Sane codices tam latini, quam graeci, quibus usus est Ximenius cardinalis in editione polyglottorum complutensium, versiculum habebant. De latinis theologi quoque Lova-

*) L. de unit. eccl.

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 257 von 290

nienses testantur, e magna copia codicum, quos contulerant, tantum 5 fuisse repertos comma non habentes. Si reliqui recentioris aetatis fuisse dicantur, erant tamen ex antiquioribus diversae patriae descripti, e. g. Demidoviensis, seculi forte 12-mi, sed ex antiquo diligentissime descriptus; nec poterant per collusionem tot scribarum interpolari. Imo codices pervetusti quoque inveniuntur hoc versu praediti, uti codex egregius abbatiae Benedictinorum Cavensis judicio Cardinalis May saeculi 6. vel 7.

7. Codices graeci vetustiores quidem nunc non habent; at mediae et recentioris aetatis bene multi; uti 9 e codicibus Stephani, codex britannicus Erasmi, cuius auctoritate ductus in 3-a editione versum recepit. Recepta est lectio in editione Complutensi quoque, probavit illam Beza, et posteriores editores usque ad novissimos criticos. Nec dici potest, e latinis exemplaribus translatam fuisse in graecos codices, nam textus utriusque nonnihil differt.

Haec quidem testimonia spectato numero inferiora fatemur: at cardo rei semper circa id vertitur, an e silentio maioris partis testium plane certa sit conclusio? Praeter Alexandrinos codices A et B (C a 4, 2. nihil habet de hac epistola) alii graeci non adsunt usque saeculum 9-um. Quomodo duo codices decidant contra testes antiquiores, uti versionem italam, Cyprianum et alios patres, codicesve latinos? Versio itala descendit ex aetate, qua lites antitrinitariae nondum fervebant, e contra graeci codices ultra tempora arianismi non assurgunt, tunc autem omissio commatis ad argumentum pro Trinitate amoliendum facile explicatur. Certe omissio maiori cum successu fieri potuit, quam intrusio.

Ceterum haec non ideo disputamus, tamquam dogma Trinitatis absque hoc loco probari non posset. Illud cer-

tum, firmumque est, etiamsi tres testes coelestes ex epistola Joannis omittantur, ut adeo fides ipsa per id non fiat mutila. Sed vicissim non perspicimus, quare catholici theologi hunc locum in probando dogmate SS-ae Trinitatis debeant ignorare, quasi vim probandi non haberet. Haec enim ei integra est, etiamsi locus a Joanne non descendit. Ecclesia quippe comma saepe fatum pro verbo Dei adoptans, veritatem eo expressam certissimam esse declaravit, si ergo non est verbum Dei ab apostolo scriptum: est tamen verbum Dei traditum, quod itaque talem probandi vim certe habet, qualis cuicunque alteri definitioni dogmaticae tribuitur, praesertim cum eius monumenta ad ipsam aetatem apostolicam ascendant.

Articulus XXIV.

Epistola II. Joannis.

§. 110.

Adjuncta historica.

Altera, quam Joanni tribuimus, epistola, sic incipit: „Senior electae dominae, et natis eius," quae verba illi quaestioni dant ansam, an sub electa domina (ἐκλεκτη κυρια) persona quaedam singularis intelligatur, vel moralis, hoc est, ecclesia? Utraque sententia nititur quibusdam argumentis. Clemens Alexandr. et Hieronymus de ecclesia accipiebant. Sic tamen obscure scripsisset apostolus, quin causam idoneam valeamus assignare, nam cum sit forma epistolae, exspectanda esset clarior designatio vel loci, vel personarum. Dicit praeterea: Salutant te filii sororis tuae electae, quae si tropice intelligenda sunt, rursum tegitur alterius ecclesiae nomen.

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 259 von 290

Ceterum nomen ἐκλεκτη Petrus quoque adhibet de ecclesia in salutatione; quare, si persona singularis intelligitur, non electa erit nomen eius, sed Kyria, Cyria, nomen foeminarum satis usitatum, sed de ecclesia inconsvetum.

Exilitas huius epistolae, item appellatio senioris, quam auctor sibi sumit, authentiam eius dubiam reddidere. Accessit illa asperitas erga haereticos, quae hic legitur, a mansvetudine et caritate Joannis, ut putabatur, aliena. At exilitas nihil, quod apostolo esset indignum, ostendit; praesertim, dum proxime adfuturus scribit. Illa tamen causam dare poterat, cur epistola minus divulgaretur; proinde postea, haud copiosis testimoniis commendata suspicioni fieret obnoxia. Senior autem, sive episcopatum, sive aetatem significet, merito dicitur Joannes, quemadmodum Petrus quoque I. 5, 1. se vocat conseniorem. Itaque nil cogit de alio Joanne presbytero ephesino cogitare, qui an unquam aliquid scriptum reliquerit, nemo antiquorum memoriae prodidit. Asperitas denique erga haereticos nulla est, nisi in sensu illorum, qui veritatem et mendacium idem valere, hominemque pari ratione beare putant. Certe si corporalis contagio vitanda est cum lue infectis: periculum perversionis in fide tanto magis est vitandum, quanto pluris est salus animae, quam corporis. Hoc autem vult apostolus praecipiens, ne seductor haereticus in domum recipiatur, aut qualicunque signo communionis salutetur; id quippe et illum in sua perversitate confirmaret, et salutantis inconstantiam non sine aliorum scandalo proderet. At, quae reliqua sunt humanitatis officia, in casu necessitatis, vel absentis periculi, nullatenus verbis Joannis vetantur, prout ecclesia catholica apostolum semper intellexit. Viderint acatholici, si authentico interprete destituti, nudo literarum sono in absurda et in-

humana compellantur. Nihil igitur authentiae obstat; imo diserta quoque argumenta favent tam interna, quam externa. Spiritus enim Joannis diffunditur per totam epistolam; nam et hic pro charitate, et fidei puritate zelat, prout semper. Doctrinae et phrases habent sibi parallelas in reliquis Joannis scriptis; vocabula: veritas, antichristus, novum mandatum etc. plane sunt Joannis. Inter testes antiquissimi sunt Irenaeus et Clemens Alex. tum Origenes, Dionysius Alex. et index Muratorii, in quo de pluribus Joannis epistolis est sermo; quae testimonia e saeculo 2-o et 3-o pro tam parvo libello adeo sufficiunt, ut ad Eusebium, Hieronymum posterioresque non sit opus provocare. De tempore et loco scriptae epistolae nil constat.

Articulus XXV.

Epistola III. Joannis.

§. 111.

Notatu digna de hac epistola.

Brevitate, et privata destinatione similis est 2-ae epistolae praesens, de quo agimus libellus, qui inscriptionem gerit: „Senior Gajo charissimo, quem ego diligo in veritate.“ Authentiae ipsius eadem obstare videbantur, quae de superiori epistola protulimus, et refutavimus. Firmatur vero illa modo scribendi Joanni proprio *) et testimonio Clementis Al. et Origenis jam ante Eusebium et Hieronymum. Cum tota sit ad individuales relationes aliquarum personarum conformata, nec materiam

*) Cf. 3. 4. cum II. Joann. 4. et postremos versiculos utriusque.

generalis instructionis praebeat: non mirum, si in usu ecclesiastico non fuit adhibita, ideoque raro descripta, et a patribus vix memorata, usque saeculum 4-um. Sed cum causa suppositionis nulla adpareat, et forma sit priori epistolae similis: qui secundam admittit genuinam, non potest rejicere tertiam. Laudatur in ea Gajus ob suam liberalitatem in fratres peregrinos, qui pro nomine Dei, seu verbi divini propagatione, profecti sunt, nihil accipientes a gentibus. In causa illorum scripturus erat Joannes ecclesiae, sed aliquis Diotrephes nolebat eos admittere, nec ab aliis admitti, detrahens etiam apostolo. Cujus fuerit auctoritatis, non constat, nisi quod amaverit primatum in ecclesia gerere, quae phrasis violentam potestatis usurpationem significat.

Memorabile: ipsum Joannem, tantae auctoritatis apostolum, et Christi dum in terris ageret, specialem amicum, non tamen caruisse obtrectatoribus, qualis erat Diotrephes, qui etiam opponere se audebat voluntati ejus. Impletum igitur est, jam nunc, quod divinus Praeceptor dixit: „Non est discipulus super Magistrum. Si me persecuti sunt, et vos persequentur.“

Alterum, quod in hac brevi epistola attentione speciali dignum est, exprimit versus 8-us. „Nos ergo debemus, inquit, suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis.“ Itaque missionibus defungi, earumque merita acquirere hoc etiam modo licet, si ope nostra indigentiis praeconum collaboremus.

Articulus XXVI.

Epistola Judae.

§. 112.

Argumentum.

Tota est objurgatione, et minis plena. Invehitur contra seductores pessimae vitae, variis nominibus notatos, et proponendo divinorum suppliciorum exempla, qualia sunt: hebraeorum in Arabia punitorum, angelorum lapsorum, Sodomae et Gomorrhae, gravissime fideles dehortatur ab eorum fallaciis, volens memores esse verborum, quae praedicta sunt ab apostolis D. n. J. X. et semet in dilectione Dei servare. Facit etiam mentionem Michaelis archangeli cum diabolo de corpore Mosis altercantis, et prophetiae Enoch, ut fugam impietatis magis persvadeat.

Memorabilis est locus, in quo dicit a Jesu populum de Aegypti terra eductum fuisse, postea vero punitum.

§. 113.

Authentia.

Auctor se vocat „Judam, Jesu Christi servum, et fratrem Jacobi.“ Quamquam ergo titulum apostoli non adposuerit: satis tamen vel ex his constat, eundem esse, qui in catalogis apostolorum Judas, cognomento Thaddaeus, etiam Lebbaeus et Zelotes vocatur, unus illorum fratrum Domini, quos Matthaeus 13, 55. recenset, uti existimarunt Origenes, Joannes Chrysost., s. Hieronymus, Gelasius Papa, et alii. Epistola ejus a quibusdam in dubium vocabatur, forte ob omissum apostolatum, et maxime, quod videretur auctoritate apocryphorum uti.

At nihil est in ea apostolo indignum. Inprimis v. 9. narrat quidem contentionem Michaelis cum diabolo, quae in libro apocrypho ἀναλῆψις Μωσεως continebatur, sed sine omni ad librum provocatione, ut adeo falsum sit, ipsum uti auctoritate apocryphorum. Idem valet de prophetia Enochi v. 14. 15. in alio libro apocrypho descripta. Quaedam vera utique etiam apocryphi habebant; Judas vero horum, quae adducit, veritatem, aliunde compertam habebat, nec nisi divinitus edoctus, ea adversariis opponere fuisset ausus, ne ab illis exploderentur. Agnoscitur autem epistolae auctoritas a Clemente Alex. tamquam Judae apostoli, ab Origene, Tertulliano, et fragmento Muratorii. Ipse Eusebius fatetur eam in plurimis ecclesiis legi, ergo lectione publica pro canonico declarata fuit, antequam a conciliis, Laodiceno, Hipponensi et Carthaginensi in seriem librorum canonicorum expresse poneretur.

§. 114.
Reliqua adjuncta.

Sive de primis lectoribus, ad quos proxime directa fuerit epistola, quaeras, sive de loco vel tempore eiusdem editae, caligine cuncta teguntur. Nam nec praedicatio Judae Thaddaei, ubinam ecclesias plantaverit, ad nostram memoriam fide historica perlata est. Syri quidem de Thaddaeo varia prodidere, sed non consona; atque alii apostolum, alii vero aliquem e 70 discipulis hujus nominis Edessae operatum perhibent.

Porro ob affinitatem argumenti cum capite 2-o epistolae 2-ae Petri, item ob versum 18-um in quo alludere videtur ad epistolam 2-am Pauli ad Timotheum datam, solet tempus huius epistolae post mortem Petri et

Pauli rejici, quoniam uterque mox citatam suam epistolam paullo ante mortem scripsit. Sed haec rem probandam non evincunt.

SECTIO III.

Articulus XXVII.

De Apocalypsi s. Joannis.

§. 115.

Auctor et character canonicus.

Ultimus canonis ecclesiastici liber Apocalypseos, hoc est, revelationis nomine signatur, quoniam varias continet de rebus futuris visiones, divinitus datas. Auctor eius mox ad initium trinis distinctis vicibus nomen suum exponit, enarrans occasionem et locum acceptarum revelationum, quas describere jussus est, et mittere septem ecclesiis, quae sunt in Asia, nempe Epheso, Smyrnae, Pergamo, Thyatirae, Sardis, Philadelphiae et Laodiciae. Liber integer tot habet interna et externa authentiae argumenta, quot vix ulli novi foederis libro suffragantur, ut adeo Critica sacra Joanni apostolo et evangelistae Apocalypsim tam certe, quam facile vindicare merito glorietur. Si nihilominus eam aliquando in dubium vocatam legimus: idipsum ad augendam libri dignitatem opportunum fuit.

Patet itaque auctor e notis internis. Ex his praeter antedicta, sunt: 1) Auctoris determinatio versu 9-o expressa; ibi enim se eundem esse Joannem asserit, qui fuerit in insula Patmos propter verbum Dei, et testimo-

nium Jesu; atqui tota antiquitas unanimiter tenet Joannem evangelistam in insula Patmos exulasse.

2) Vox λόγος Joanni tam familiaris, imo propria hic etiam legitur de Christo (19, 13.) prout etiam ἀρνίον (5, 6. 8. 12, 13.) Haec nobis sufficiunt; utpote tam evidentia, ut sine impostura alius Joannem se dicere, qui fuerit in insula Patmos etc. non potuerit. Quominus autem fraus admitti possit, obstat perbreve temporis intervallum, quod inter Joannis mortem, et primos authentiae testes intercessit. Sunt enim hi Joannis discipuli, ad quos Irenaeus, tamquam personalem Joannis notitiam habentes, provocat; praeterea Papias, Justinus, Melito Sardensis, et ipse Irenaeus. Accedunt: Theophilus Antiochenus, Apollonius, Tertullianus, Clemens Alexandrinus ad finem saeculi 2. et initium tertii viventes. Postea saeculo 3-o Origenes et Methodius Tyri episcopus, Pamphilus. Saeculo 4-o Patres latini omnes, Ephraem syrus, Athanasius et Didymus Alexandrini, Basilius etc. Solus fere Dionysius Alexandrinus reperitur e celebrioribus, qui negat, Eusebius autem, qui in dubium vocat apostolicam originem Apocalypseos. Reticet denique illam Cyrillus hierosolymit. concilium Laodicenum, et canon 85 apostolorum.

Causas impugnatae authentiae noscimus e Dionysio Alexandrino. Accesserunt lites chiliasticae; cum enim chiliasmus in cap. 20-o huius libri construeretur, nec alium exitum quidam eius adversarii invenirent, libri auctoritatem ibant inficias. Tanto gravius itaque est testimonium illorum pro apostolica origine, qui licet chiliasmo infensi, authentiam tamen defendunt, uti est Origenes, et alii. Apparet igitur: librum hunc inde a saeculi 2-i initio in ecclesia notissimum fuisse, tam orientali, ubi usque ad lites chiliasticas nemo illum impugnavit, quam occidentali, quae uno agmine semper illius

authentiam tuebatur. Nihil igitur in obversum probat quorumdam haereticorum reprobatio, uti sunt Marcionitae et Alogi; illi enim in favorem suorum placitorum sacram scripturam jam interpolabant, jam mutilabant, et si aliud medium non sufficeret, integros libros rejiciebant, ut constat de Marcione, 10 tantum epistolas Pauli, et solum evangelium Lucae, illudque corruptum retinente.

§. 116.

De argumento.

Maior pars argumenti est prophetica, adumbrans fata ecclesiae. Benignitas divina scilicet non modo quid credere et agere nos oporteat, revelavit: sed etiam ad connatam naturae humanae futura sciendi aviditatem condescendit, pandens prospectum in futura tempora, et qui priorem veteris foederis ecclesiam cognitione futurorum excoluit: novam gentem sanctam et populum acquisitionis omni futurorum cognitione destitutam noluit. Fatemur quidem complurium visionum obscuritatem, nec tamen idcirco liber sine fructu legitur; imo quo saepius legitur, eo magis clarescit, ipsaque remanens adhuc obscuritas quamdam reverentiam erga divina arcana, homini haud ingratam, imprimit. Sunt praeterea multa, quae nulla teguntur caligine, ad fidem et virtutem aedificandam aptissima, uti encomia Christi redemtoris, sententiae morales et laudes praemiaque virtutum. Totus liber in tres partes bene dividitur, primam efficiunt tria initialia capita, altera a capite 4-o usque 19-um excurrit, ad tertiam posteriora tria capita referuntur. Agitur quippe de statu praesenti ecclesiae, de futuro in his terris, et de futuro in coelis. Initium et finis facilem admittunt interpretationem, sed pars media, quae potior

est, symbolicarum visionum, et prophetiarum naturam retinet, cui plurima lux ex historia implementi solet accedere. In quantum igitur sensui hermeneutico Apocalypseos favet historia: in tantum loca obscura minuuntur; ut adeo clavis interpretationis maxime inveniatur in fideli eventuum historicorum adplicatione ad regularum hermeneuticarum rectum usum. Sed hic maxime laborant interpretes. Saepe enim alter ibi videt implementum, ubi alter insufficientem dicit historiae cum prophetia consensum. Sunt qui omnia jam impleta autument; alii vix pauca. Et certe nonnulla, si jam in implemento essent conspicua, multo clariora fore putamus, ac nunc, nisi forte historia ipsa sit nobis imperfecte cognita, ac speranda illius uberior evolutio plura cum tempore offerat subsidia. Nisi nos omnia fallant, bonam saltem partem Apocalypseos in effectum jam abiisse, censendum est. Quid enim secus assertio sacri scriptoris toties repetita significet, qua graviter testatur: ea quae scribit, cito impletum iri, et tempus prope esse*). Apud Deum quidem mille anni sicut unus dies, et tota saeculi praesentis duratio respectu aeternitatis brevissima est: quia tamen in decursu libri saepius numeri assignantur: videtur auctor humano more longitudinem vel brevitatem temporum aestimasse.

Ad usum sequentes nota textus:

„Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque, unde excideris, et age poenitentiam, et prima opera fac. 2, 4. 5.

„Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae“ 2, 10.

„Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula eius“ 5, 5.

*) 1, 1. 3. 22, 10. 12. 20. etc.

„Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Opera enim illorum sequuntur illos.“ 14, 13.

„Veni, et ostendam tibi sponsam, uxorem Agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de coelo a Deo. . . . Et templum non vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens templum illius est et agnus. Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est agnus. . . . Et portae ejus non claudentur per diem, nox enim non erit illic. . . . Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitae agni.“ 21, 9. 10. 22. seqq.

§. 117.

Locus et tempus editae Apocalypseos.

Si de loco factae revelationis quaeratur Auctor ipse illum clare designat 1, 9. 10. nempe insulam Patmos, unam e sporadibus in mari Jonio, ubi exilium sustinuit. Hic itaque in solitudine, a mundo veluti abstractus, mysteriis et revelationibus coelestibus immersus fuit, saepiusque jussus est ea, quae vidisset, describere. „Audivi, inquit, vocem magnam post me, tamquam tubae, dicentis: Quod vides, scribe in libro, et mitte septem ecclesiis“ 1, 10. 11. Et iterum: „Scribe ergo, quae vidisti, et quae sunt, et quae oportet fieri post haec.“ 1, 19. Excitatio ista saepius repetita, colligere jubet, Joannem mox paruisse, nec in incertum tempus laborem scribendi distulisse; idque plane conficitur e cap. 10. v. 4–o, ubi Joannes dicit, se mox, cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, fuisse scripturum, nisi hac vice prohibitus fuisset. Ex his jam plus quam verisimile fit: Apocalypsim in insula Patmos non modo

visam, sed et scriptam fuisse, licet forte postea a reduce Ephesum Joanne fuerit ecclesiis publicata.

De tempore variae sunt sententiae. Alii enim Neroni, alii Galbae, plurimi Domitiano tribuunt sententiam exilii, s. Epiphanius usque Claudium (41—54) recedit. Tutissimum certe est in hac quaestione sequi s. Irenaeum, cui Eusebius quoque et s. Hieronymus accesserunt. Ille vero Domitiano relegationem tribuit. Neque obstant notae internae; nam ubi Jerosolymam adhuc stantem inducit 11, 1 seqq. nequaquam certa est interpretatio.

Lingva graeca fuisse Apocalypsim scriptam, vix non omnes tradidere, et vel sola sententia saepius recurrens: Ego sum alpha et omega, evincit.

§. 118.

Memorabilia de Apocalypsi.

Cum homines cupidi sint cognoscendarum rerum futurarum: Apocalypsis autem sit prophetica imminentium eventuum praedictio: facile intelligimus, librum talem congruam excitasse attentionem. Hinc est, quod tot tantique patres jam saeculo 2-o eius meminerint, imo ei explicandae prius quam aliis libris dederint operam, nominatim gravissimi viri s. Justinus, et s. Irenaeus. — Cum deinde commenta chiliastarum ex hoc libro repeterentur: id quidem auctoritatem eius aliquantum succussit: sed evertere non potuit. Nam et illi, quos agitatae controversiae ad Apocalypsim e catalogo reliquorum librorum omittendam induxerunt, ipsam tamen ceu divinum opus venerari pergebant, ut v. g. s. Gregorius Nazianzenus. Dionysius vero Alexandrinus in disputatione cum chiliastis quidem Joanni apostolo opus abjudicavit, alias vero divinum agnovit, sed Joanni presbytero Ephesino adscripsit. Qua concessione quid efficiatur contra

adversarios, haud patet. Liber tamen in ecclesia Alexandrina gradum suum retinuit, et successores Dionysii in semita priscae traditionis perseverabant. Quo certe confirmatur nostra de canone sententia, scilicet: libros, ut vocant, deuterocanonicos ab origine fuisse canonicos, et postea tantum impugnatos, quin privatorum controversiae sensum et praxim ecclesiae mutarent. Sed et illud hic exemplo Apocalypseos denuo observamus, quam infirmum sit argumentum contra dignitatem canonicam alicuius libri, ex omissione sola petitum. Quis v. g. ex eo, quod versio Peschito Apocalysim non habeat, inferat, apud Syros eam pro libro apostolico agnitam non fuisse, cum constet Theophilum Antioch. saec. 2-o et Ephraemum saec. 4-o eandem pro opere divino et apostolico adhibuisse? Aut valebitne argumentum ex omissione Apocalypseos apud Cyrill. hierosolymit. contra sensum ecclesiae hierosolymitanae ductum, si Antiochia, Cyprus, Alexandria, eam tueantur, et in ipsa Palaestina nullum alias vestigium occurrat reprobationis?

Abusus circa Apocalypsim apud heterodoxos praesertim multiplices evenerunt. Nomina et numeros symbolicos pro genio suo adplicabant, et in ecclesiam Romanam, cuius interitum nec praevidere, nec efficere poterant, accerbissima scommata effutiebant, quasi non ipsi ab ea defecissent, sed ab ipsis ecclesia.

Pro gravitate et difficultate argumenti Apocalypsis copiosos nacta est interpretes. Recentiori tempore Benignus Bossuetus episcopus Meldensis ingenio maximo vir; tum Augustinus Calmet, Abbas Senonensis, historice librum interpretantur, sed paulo diversa ratione. Conferendus autem Martinus Vouters saepe citatus, qui quaestiones plurimas ad sensum Apocalypseos pertinentes distincto tomo pertractavit.

Nota. De Apocalypsi haec est sententia Hieronymi: „Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta, quot verba. Parum dixi pro merito voluminis. Laus omnis inferior est: in verbis singulis multiplices latent intelligentiae.“ *) — Memoratu dignissima est etiam publica disputatio, super Apocalypsi jam saeculo 3. habita, inter Dionysium episcopum Alexandrinum, et chiliastas aegyptios, quorum dux quidem erat Coracio presbyter, arma vero: liber quidam Nepotis episcopi jam defuncti. Illius examinandi causa Dionysius conventum instituit presbyterorum, doctorum, et omnium fratrum qui interesse volebant, atque in eo tres dies a prima luce usque ad vesperam dictum opus Nepotis refutabat, raram expertus fratrum docilitatem, et veritatis amorem. Effectus fuit: ut Coracio quidem audientibus cunctis fratribus polliceretur et contestaretur, se inposterum opinionem chiliasmi dimissurum, nec aliis praedicaturum: omnes autem praesentes restituta animorum concordia magnopere delectarentur. (Cf. Eusebii hist. eccl. l. 7. c. 24.)

*) Ep. ad Paulinum, 53. t. 1. col. 278.

Appendix.

§. 119.

Interpretes Novi Testamenti.

Ad historicas notitias de libris novi testamenti pertinet haec etiam quaestio: quosnam sacer codex habuerit interpretes, qui scriptis operibus ecclesiam in eiusdem sensu erudierint? Certe non minoris utilitatis cognitio, quam reliquum Introductionis argumentum, quae si tota ad sensum et usum scripturae complanandum tendit: sane recensio clariorum interpretum ad hunc finem obtinendum inprimis est opportuna. Dabimus itaque censum selectorum interpretum, quos antiquitas, vel usus communior, vel doctorum virorum judicium commendat, illud in genere observantes: nec istos, qui ex multis adducentur, semper et ubique optima vidisse; nec alios hic praetermissos absque fructu legi.

A.

Totum novum foedus declarant:

Catenae patrum, ideo primo loco ponendae, quod antiquissimas patrum et scriptorum ecclesiasticorum observationes in synopsi exhibeant. Variae autem sunt, tam in editionibus, quam manuscriptis. Novissime cate-

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 273 von 290

nas huius generis edidit J. A. Cramer Oxonii 8. maj. ab anno 1838—1844 in 8 tomis.

Walafridus Strabo abbas Augiensis O. S. B. † 849. Edidit brevem totius codicis biblici explanationem quae „glossa ordinaria“ dicebatur, et per totum medium aevum maximi fiebat, ita ut hac formula: „Auctoritas dicit“ citaretur.

Nicolaus Lyranus Ord. s. Francisci, professor theologiae in Universitate Parisiensi † 1340. Scripsit Postillas perpetuas, seu succincta scholia in totam scripturam s. 85 libris contenta, et multoties edita. Peritus fuit auctor lingvae hebraeae, et sensum literalem magna cum eruditione evolvit, subjunctis postea moralibus notis. De illo dici solebat: „Nisi Lyra lirasset, totus mundus delirasset.“ Sequenti saeculo Postillas Nicolai emendavit et auxit Paulus Burgensis ex judaeo monachus ord. s. Franc. deinde episcopus Burgensis in Hispania.

Emanuel Sa Lusitanus, societatis Jesu, edidit „Notationes in totam s. scr. quibus tum omnes fere loci, tum variae ex hebraeo, chaldaeo et graeco lectiones mira brevitate explicantur“ Antverpiae 1598 et saepius.

Jacobus Tirinus e soc. Jesu, Romae 1636 mortuus, auctor est Commentarii in sacram scripturam, frequenter editi, et in germanicam quoque lingvam translati, in quo brevitati studet, neque tamen jejunus est vel obscurus.

Cornelius a Lapide Leodiensis, e soc. Jesu Romae 1637 defunctus; in lucem emisit: „Commentaria in vetus ac novum testamentum“ saepe vulgata. Ob frequentes digressiones et citationes copiosus.

Stephanus Menochius Ticinensis e S. Jesu † 1655 Ab illo habetur: „Brevis expositio sensus literalis totius scripturae ex optimis auctoribus per epitomen

collecta." Editio ceteris emendatior et auctior prodiit Parisiis 1719 duob. volum. in fol.

Joannes B. du Hamel presbyter gallicus e congregatione Oratorii, aliquamdiu Philosophiae professor, postea parochus, tandem Secretarius Academiae regiae scientiarum, † 1706. Edidit Biblia sacra vulgatae editionis una cum selectis notis ex optimis quibusque interpretibus, prolegomenis, novis tabulis chronologicis et geographicis. Parisiis 1706 in fol. — Lovanii 1740 in fol. — Bassani 1774 in 4-o.

Augustinus Calmet Abbas Senonensis O. S. B. † 1757, commentator totius scripturae s. ob amplam eruditionem et sanum judicium plurimis probatus, et a Dominico Mansi in lingvam latinam e gallica translatus. Prolegomena et dissertationes eius a parte quoque saepius editae, et germanica lingva donatae sunt.

Joannes Nep. Alber hungarus e Scholis Piis, in Universitate Scientientiarum Pestinensi Professor studii bibl. edidit Interpretationem sacrae scripturae per omnes vet. et novi testamenti libros, in tomis 16. Pestini 1807 et seq. Opus utilibus excerptis refertum.

Daniel Tobenz Canonicus regularis ord. S. Augustini Claustroneoburgi, edidit commentarios in sacram scripturam n. t. Wiennae 2 tom. (inter opera omnia ibid. 1814—1820 septimus et octavus).

J. H. Kistemaker Canonicus Monasteriensis: Die h. Schriften des n. Test. übersetzt und erklärt, 7 tomi in 8. Monasterii et Graecii 1825 et 1826.

Franciscus Xav. Massl „Erklärung der heil. Scriften des n. Test." emendata editio commentarii ab Isaaco Ludovico le Maistre de Sacy vulgati. Straubingae et Ratisbonae 1838—1849. 13. tomi.

Tres postremi auctores ob eximias adnotationes practicas sacris curionibus egregium usum praestant.

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 275 von 290

J. F. Allioli, Die h. Schrift des a. und n. Testamentes. Versio ex vulgata latina cum notis, et approbatione sedis apostolicae, frequenter edita.

B.

De evangeliis omnibus exponendis, bene meriti sunt:

S. Thomas Aquinas ex ordine Praedicatorum † 1274 singulari diligentia compilavit catenam auream in 4 evangelia, seu observationes exegeticas Patrum graecorum et latinorum plurimorum, additis eorundem nominibus, quod opus recentissime anglica et germanica lingva donatum est.

Venerabilis Beda presbyter Anglus, O. S. B. literarum eximius cultor et promotor † 735.

Theophylactus, Acridensis in Bulgaria Archiepiscopus † 1107 graeca scholia ad illustrandum sensum literalem peridonea edidit.

Euthymius Zigabenus, monachus Ord. s. Basilii, saec. 11. et 12. Multa scripsit, et aliquando etiam causam schismatis orientalis defendit; sed ex commentariis eius in libros n. f. editus tantum est Commentarius (graecolatinus) in 4 evangelia, 1792. Tres tomi in 8-o.

Joannes Maldonatus Hispanus e Soc. Jesu, postquam Parisiis theologiam cum honore docuisset, Bituricum se recepit, unde a Gregorio XIII. evocatus, Romae 1583 mortuus est. Edidit praeter alias lucubrationes biblicas commentarios in 4 evangelia, novissime recusos 1840 et seq. Moguntiae.

Cornelius Jansenius professor Lovaniensis, postea episcopus Iprensis † 1638. Tetrateuchi eius, id est Commentarii in s. evangelia editio nova ceteris multo correctior et emendatior prodiit 1824 Mechliniae in 2 tomis. Auctor, qui ob suum „Augustinum“ male audit.

hocce opere laudem retulit, quod etiam plurimas editiones vidit. *)

C.

In specie de evangelio s. Matthaei:

S. Hilarius Pictaviensis episcopus † 368. Sensum allegoricum frequenter sequitur, non neglecto literali.

S. Joannes Chrysostomus episcopus Constantinopolitanus † 407 scripsit homilias in evangelium s. Matthaei eruditione plenas, quod et de reliquis eius homiliis exegeticis valet, ab omnibus posterioribus graecis diligenter lectus et excerptus.

S. Hieronymus explicuit evangelium s. Matthaei.

S. Augustinus in opere suo: „Quaestionum evangeliorum libri duo“ primum librum implevit 47 quaestionibus in evang. s. Matthaei, et praeterea habet 44 sermones de verbis Domini apud Matthaeum.

Petri Possini e S. J. Symbolarum in Matthaeum tomi duo in fol. Tolosae 1646 et seq. Prior continet catenam graeco latinam unius et viginti patrum graecorum, alter autem triginta patrum graecorum.

Jos. Scheth eques a Bohuslav, Praepositus capitularis Brixinensis, elucubravit Praelectiones in evangelium s. Matthaei, editas Oeniponte 1847.

De evangelio s. Marci.

Catena graecorum patrum in evangelium secundum Marcum, collecta a Petro Possino, editaque Romae 1673 in fol.

*) Silentio non sunt premendae 40 homiliae s. Gregorii magni, super variis pericopis 4 evangeliorum, quamvis commentarium perpetuum non exhibeant.

Angelus del Pas hispanus ord. s. Francisci, † 1596 scripsit commentaria in Marci evangelium, Romae 1623 in fol.

Separatim evangelium s. Marci paucos invenit interpretes. Juvat igitur producere viros non obscuros, qui praeter enumeratos (sub A et B) plures canonicos libros exposuerunt, uti sunt:

Albertus magnus ex ordine s. Dominici, primum philosophiae et theologiae professor, postea sui ordinis praepositus provincialis, denique episcopus Ratisbonensis, † 1280. Inter plurima eruditionis monumenta reliquit etiam commentarium in 4 evangelia, et Apocalypsim.

Joannes Gagnaeus theologus Parisiensis, cancellarius ecclesiae cathedralis † 1549. Scripsit scholia in omnes novi testamenti libros, passim ex antiquioribus graecis et latinis auctoribus excerpta, in quibus vastam eruditionem criticam et philologicam ostendit. Edita sunt Parisiis saec. 16. et 17. multoties.

De evangelio s. Lucae.

S. Ambrosius Mediolanensis episcopus † 397.

S. Cyrillus Alexandrinus, cuius graecum commentarium nuperrime Angelus May cardinalis in lucem protraxit, et in „Nova Patrum“ bibliotheca, tomo secundo edidit. † 444.

S. Augustinus librum secundum supra citati operis implevit 51 quaestionibus in Lucam.

S. Bonaventura, Italus ord. s. Francisci, theologiae professor, episcopus Albanensis et cardinalis. † 1274, explicuit inter alia evangelium s. Lucae.

„Catena sexaquinque graecorum patrum in sanctum Lucam, quae quatuor simul evangelistarum introducit explicationem, luce a latinitate donata, et ex aliis patribus

tam graecis, quam latinis suppleta, et adnotationibus illustrata a Balthasare Corderio“ (e soc. Jesu) Antverpiae 1628 in fol.

Didacus Stella Lusitanus, saec. 16. Ordinis s. Francisci, scripsit „Commentaria ampla in sanctum Jesu Christi evangelium secundum Lucam“ saepissime edita, ad eruditionem non minus, quam aedificationem comparata.

De evangelio s. Joannis.

S. Joannes Chrysostomus, habet homilias in totum evang. s. Joannis.

S. Augustinus edidit tractatns 124 in integrum s. Joannis evangelium.

S. Cyrillus Alexandrinus exposuit idem evang.

S. Thomas Aquinas praeter Catenam auream proprium scripsit commentarium.

„Catena graecorum patrum in sanctum Joannem, a Balthasare Corderio Antverpiae 1630.

Franciscus Toletus e societ. Jesu saec. 16. Ab eo exstant: „Commentarii et adnotationes in evangelium Joannis,“ qui tam catholicorum quam heterodoxorum laudem promeruere, et saepius editi sunt.

Adalbertus Maier, professor Friburgensis in Brisgovia, „Commentar über das Evang. d. Johannes.“ In duobus tomis 8. maj. Friburgi 1843. 1845.

De Actibus apostolorum.

S. Joannes Chrysostomus.

Venerabilis Beda.

Oecumenius, saeculi 10. Triccensis in Thracia episcopus, in scholiis sensum literalem lingva graeca explanavit.

Theophylactus qui supra.

Casparus Sanctius Hispanus, e soc. Jesu, † 1628 praeter egregios commentarios in libros v. f. etiam Acta apostolorum illustravit.

J. Theodorus Beelen, professor Lovaniensis, et Canon. honor. ecclesiae Leodiensis, edidit Commentarium eruditum in Acta apostolor. in duobis tomis in 4-o 1850. et 1851. Lovanii.

D.

In omnes apostolorum epistolas scripserunt:

Oecumenius, qui supra.

Theophylactus, qui sub B.

Alphonsus Salmero, Hispanus e societate Jesu, † 1685 lucubrationes edidit in totum novum foedus, 16 tomis constantes, e quibus 13—16 tractant epistolas Pauli, catholicas, et Apocalypsim.

Libertus Fromondus, professor theologiae Lovaniensis, † 1656. exposuit omnes epistolas, atque recenter Mechliniae novis curis editus est.

Guilielmus Estius, professor in academia Duacensi, † 1613. Commentarius eius praestantioribus accensetur, et post multas antiquiores editiones, anno 1840—1844. recusus est.

E.

In epistolas s. Pauli.

Homiliae s. Joannis Chrysostomi.

Theodoretus Cyrhi in Syria episcopus † 457 egregium reliquit commentarium graecum.

Primasius Adrûmetinus in Africa episcopus, saeculo 6-o. Commentarius eius in epistolas Pauli ex anti-

quioribus quidem compositus est, attamen a brevitate et perspicuitate laudatur.

S. Thomas Aquinas; supra laudatus.

Bernardinus a Piconio Capucinus, ad finem saeculi 17-i scripsit triplicem expositionem epistolarum s. Pauli, quae analysi, paraphrasi, et commentario absolvitur. Opus magni aestimatum, et recenter in tribus tomis recusum Vesontione et Parisiis 1847.

F.

De epistola ad Romanos.

S. Cyrillus Alexandrinus, qui supra.

Jacobus Sadoletus Italus, Leonis X. secretarius, postea episcopus et cardinalis † 1547. epistolam ad Romanos in forma dialogi terso latino sermone et cum usu dogmatico explanavit.

Franciscus Toletus, Hispanus e S. J. idem qui supra.

Franc. Xav. Reithmayr professor Monachiensis. Commentar zum Briefe an die Römer 1845. Regensburg. 8. maj.

J. Theod. Beelen, Commentarius in epistolam s. Pauli ad Romanos. Lovanii 1854. 4. maj.

De utraque ad Corinthios epistola.

S. Cyrillus Alexandrinus.

Rabanus Maurus, abbas Fuldensis, o. s. B. postea archi-episcopus Moguntinus vir magnae eruditionis, † 856. Reliquit commentarios in complures libros v. et n. testamenti, inter quos sunt epistolae Pauli. Antiquiores potissimum secutus est.

Casparus Contarinus Italus Cardinalis † 1542, edidit succincta scholia in epistolas Pauli.

De epistola ad Galatas.

C. Marius Victorinus, natione Afer, philosophus, Romae ad religionem Christi conversus, saec. 4. Commentarium eius in ep. ad Galatas, Ephesios et Philippenses edidit Ang. Mai, in Scriptorum veterum nova collectione" tom. 3.

S. Hieronymus.

S. Augustinus, libro 1. distincte hanc epistolam pertractavit.

Hieronymus Seripandus Italus ex ordine Eremitarum s. Augustini, postea episcopus, cardinalis, et legatus Pii IV. in Concilio Tridentino † 1563. Ab eo superest „Commentarius in epistolam Pauli ad Galatas, et responsiones ad quaestiones ex huius ep. textu" quod opus frequenter prelum subiit.

Fridericus Windischmann, Erklärung des Briefes an die Galater. Mainz. 1843.

De epistola ad Ephesios.

S. Hieronymus.

M. Victorinus philosophus saec. 4.

S. Joannes Damascenus ex aulico ministro Califae Damasceni monachus, † circa 754, breves explanationes in omnes Pauli epistolas exaravit.

Bonif. Martinus Schnappinger. Der Brief Bauli an die Epheser, erklärt Mannheim 1793.

De epistola ad Philippenses.

M. Victorinus idem qui supra.

S. Joannes Damascenus qui supra.

Antonius Velasquez, a quo sunt „Commentarii et adnotationes in epistolam Pauli ad Philippenses.“ Opus multa instructione refertum, et saec. 17-o saepe editum.

J. Theodorus Beelen, Commentarius in epist. s. Pauli ad Philipp. edit. 2-a Lovanii 1852.

De epistola ad Colossenses, et utraque ad Thessalonicenses.

S. Joannes Damascenus, qui supra, alias quidem Chrysostomum maxime sequitur, sed in epistolis ad Ephesios, Philippenses, Colossenses et Thessalonicenses ab eo independens est, ideoque ad has ipsum citamus.

Alii producti sunt sub A. D. E.

De epistolis ambabus ad Timotheum, et ad Titum.

Lanfrancus archiepiscopus Cantuariensis ex ordine s. Benedicti † 1088 habet commentarium in epistolas s. Pauli, in quo glossam bonam et breves notas ponit lectu utiles. Excerpit quidem frequenter patres antiquiores, at multa addit propria.

Claudius Espencaeus doctor sorbonicus † 1571 egregie in has epistolas commentatus est.

M. J. Mack, Commentar über die Pastoralbriefe, Tübingen 1841. Opus commendatione dignum.

De epistola ad Philemonem.

S. Hieronymus, qui etiam epistolam ad Titum exposuit.

De epistola ad Hebraeos.

S. Cyrillus Alexandrinus, cuius fragmenta Ang. Mai produxit.

Henricus Klee, Commentar über den Brief an die Hebräer. Mainz 1833.

Adalbertus Maier, idem qui supra.

G.

De epistolis catholicis.

Venerabilis Beda breviter sed plerumque bene versatur in singulis exponendis.

Solam vero 1-am Joannis in 10 Tractatibus exposuit s. Augustinus.

Alii videantur sub A. et D.

H.

De Apocalypsi.

Andreas cappadox saeculo 6-o.

Arethas pariter cappadox saeculo 10. Ambo graece commentati sunt in Apocalypsim.

Franciscus de Ribera Hispanus e soc. Jesu, saec. 16. Commentarium in Apocalypsim Joannis exaravit, frequenter editum.

Gregorius Coelius Pannonius, Ord. s. Pauli primi erem. saeculo 16-o Romae in monte Coelio Prior, patria hungarus, edidit „Collectanea in sacram Apocalypsim.“

J. B. Bossuet episcopus Meldensis. Parisiis 1689. in 8.

C. Stern, Commentar über die Offenbarung des Apostel Johannes. Schaffhausen 1854. Opus egregium.

En selectum Interpretum novi foederis, brevem quidem, si numerum aliorum consideres: attamen ad fines intelligendae scripturae sufficientem. Verba vitae aeternae cupis intelligere? Nihil prorsus ad eam assequendam tibi incertum relinquent: modo veritatem et salutem sincere quaeras. At si scire vis, quod noscere nihil attinet: nunquam satiaberis, etsi infinito librorum pelago te immergas. Catholicos maxime, vel saltem antiquos adduximus; quia in ceteris quoque nonnisi hoc verum est, quod catholicum. Nemo quidem negaverit: ab heterodoxis multa scribi catholice, eaque a viris fide et discretionis virtute armatis utiliter in ipsorum operibus investigari: sed quis, dum siti uritur, lentum suscipiat laborem aquam coeno saturatam prius percolandi, quam ex praesenti puro fonte sitim restingvat? In antiquos autem ideo cum dilectione ferimur: quia si sensum et rectum usum scripturae, per 18 saecula jam tritae, heri primum detexissemus: c a t h o l i c i dici non mereremur! Sed nunc testes adpellamus patres antiquissimos, eorumque nepotes longo saeculorum ordine succedentes. Et videas eorum, quos citavimus, amplissimam varietatem! Alii sunt orientalis, alii occidentalis ecclesiae membra. Habes Europaeos, Asianos, Afros. In Europa cernis Italos, Gallos, Lusitanos, Hispanos, Anglos, Hollandos, Belgas, Germanos, Hungaros. Dicamne alios esse saeculares alios vero regulares? quosdam cardinales et episcopos, quosdam autem presbyteros et professores. Adstant Augustiniani, Basilitae, Benedictini, Capucini,

Dominicani, Franciscani, Jesuitae, Oratoriani, Piaristae. Quid adhuc desiderabis, ut pateat, tantam in necessariis unitatem esse vere catholicam? Quidquid vero ab unitate catholica discrepat, rivulus est opinionum, quas dies fert, dies delet.

I. O. G. D.